DE SULPICIO SEVERO
SALLUSTIANAE, LIVIANAE, TACITEAE ELOCUTIONIS IMITATORE.

COMMENTATIO PHILOLOGICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

JOSEPHUS SCHELL,

RHENANUS.

MONASTERII GUESTF.

EX TYPOGRAPHIA THEISSINGIANA.

MDCCCXCII.

PARENTIBUS OPTIMIS

SACRUM.

Rerum scriptorum populi Romani primus historiam artificiose composuit Gaius Sallustius Crispus atque omnes, qui antea res a Romanis gestas tractaverunt, longe superavit. Quam ob rem veteres scriptores non solum summis laudibus extulerunt Sallustium — exempli causa laudo Martialis epigr. 14, 191 „Hic erit, ut perhibent, doctorum corda virorum,

Primus Romana Crispus in historia“ — sed etiam ad imitandum sibi eum proposuerunt, et ipse Tacitus „rerum Romanarum florentissimi auctoris“ studiosus fuit. Neque post Taciti aetatem Sallustius oblivioni datus est, sed multi scriptores posteriores ad eius dicendi genus regressi sunt et profinae, ut ita dicam, historiae auctores et scriptores ecclesiastici qui vocantur. Eorum, qui sacrum historiam conscripserunt, imprimis Sulpicius Severus Sallustii imitator commemorandus est, et tanta quidem inter eos similitudo intercedit, ut Barthius Sulpicium Severum nominet „Christianum Sallustium“. Quantopere Sallustii opera Sulpicii Severi animo observata sint, multi illi loci similes ostendunt, quos ex utroque scriptore contulit Pratje: „Quaestiones Sallustianae ad L. Septimium et Sulpicium Severum Sallustii imitatores spectantes“.[1]) Neque

1) Nonnullos locos eorum, quos collegit Pratje, afferre mihi liceat:

Sall.	**Sulp. Sev.**
Iug. 4, 9 „verum ego liberius altiusque processi, dum me civitatis morum piget taedetque: nunc ad inceptum redeo“.	Chr. I 23, 7 „sed longius quam volui egressus sum, dum me temporum nostrorum piget taedetque: ad inceptum redeo.

Sallustii solum, sed etiam Taciti operum vestigia compluribus locis in Sulpicii Severi libris inveniuntur.[1]) Dubium

---

Iug. 12, 3 „carus acceptusque“	Chr. I 2, 6 „carus acceptusque“.
Iug. 13, 3 „parabat armis contendere“.	Chr. I 21, 4 „paratus armis con tendere“.
Iug. 32, 3 „tanta vis avaritiae in animos eorum veluti tabes invaserat“.	Chr. I 23, 5 „tanta hoc tempore animos eorum habendi cupido veluti tabes incessit.“
Iug. 14, 4 „et ea tempestate spes atque opes civitatis in illo sitae“.	Chr. I 11, 8 „ea tempestate spes atque salus Aegypti in illo sita erat“.
Hist. i. 101 „rebus supra vota fluentibus“.	Chr. II 45, 1 „rebus nimirum prospere et secundum vota fluentibus“.
Cat. 1, 5 „inter mortales certamen fuit“.	Chr. I 5, 4 „cum . . . inter mortales certamen fuisset“.
Iug. 43, 5 „adversum divitias invictum animum gerebat“.	D. I 25, 4 „adversum vanitatem atque iactantiam ita invictum spiritum gessit“
Cat. 36, 4 „quae prima mortales putant“.	D. I 5, 5 „quae prima mortales putant esse“.
Cat. 2, 3 „mutari ac misceri omnia cerneres“.	Chr. II 51, 9 „cum omnia turbari ac misceri cernerentur“.

1) Bernays „über die chronik des Sulpicius Severus“ laudat:

Tac.	**Sulp. Sev.**
Ann. 15, 44 „repressaque in praesens exitiabilis superstitio rursum erumpebat, non modo per Iudaeam, originem eius mali, sed per urbem etiam“.	Chr. II 46, 1 „tum primum infamis illa Gnosticorum haeresis deprehensa, superstitio exitiabilis arcanis occultata secretis. Origo illius mali Oriens atque Aegyptus“.
Ann. 14, 62 „malorum facinorum ministri quasi exprobrantes aspiciuntur“.	Chr. II 28, 3 „hic primus Christianum nomen tollere agressus est: quippe semper inimica virtutibus vitia sunt et optimi quique ab improbis quasi exprobrantes aspiciuntur“.
Ann. 15, 37 „uni ex illo contaminatorum grege (nomen Pythagorae	Chr. II 28, 2 „post etiam Pythagorae cuidam in modum sollem-

igitur esse non potest, quin utriusque scriptoris libros Sulpicius Severus studiose legerit. Sed quaeritur, utrum singulos tantum locos vel locutiones in libros suos contulerit, an totius Sallustianae et Taciteae elocutionis naturam et proprietatem imitatus sit. Quam in rem diligentius inquirere hac commentatione mihi proposui. Eo consilio omnia, quae apud Sulpicium Severum in rebus grammaticis ad Sallustiani et Tacitei generis dicendi proprietatem spectant, collegi; tam multa autem inveniuntur, ut dubium esse non possit, quin Sulpicius Severus in toto genere dicendi pendeat a Sallustio et Tacito. Praeter Sallustii et Taciti Livii quoque elocutionem respexi, cuius satis multae proprietates in Sulpicii Severi libris inveniuntur, quae partim ad Sulpicii Severi imitationem Taciteam revocari possunt, partim, quippe quae Livii solius propriae essent, a Sulpicio Severo ex Livii ipsius operibus haustae sunt.

In universum autem in tractanda hac materia eandem viam mihi ineundam esse putavi, quam Draeger ingressus est in libris, qui inscribuntur; „historische syntax der lateinischen sprache“ (editio secunda Lipsiis 1878) et „über syntax und stil des Tacitus“ (editio tertia Lipsiis 1882), non quo ordinem a Draegero observatum omni ex parte probarem, sed ut haec commentatio aptior esset ad exempla ex aliis scriptoribus, quos Draeger attulit, conferenda. Quod attinet ad syntaxim, magnae mihi fuisse utilitati Lönnergrenii librum „De syntaxi Sulpicii Severi“ grato animo profiteor. In Sulpicii Severi libris laudandis edi-

fuit) in modum sollemnium coniugiorum denupsisset. Inditum imperatori flammeum, missi auspices; dos et genialis, torus et faces nuptiales, cuncta denique spectata, quae etiam in feminis nox operit.“

nium coniugiorum denuberet; inditumque imperatori flamneum; dos et genialis, torus et faces nuptiales, cuncta denique, quae vel in feminis non sine verecundia conspiciuntur, spectata“.

tionem Caroli Halmii (Vindobonae 1866), in locis Sallustianis et Livianis citandis Dietchii et Weissenbornii secutus sum; Taciti annalium locos attuli secundum editionem, quam curavit Nipperdey (Andresen), historiarum, Agricolae, dialogi exempla ab Im. Bekkeri editione petita sunt. Reliquos, quibus usus sum, libros, suo quemque loco commemorabo.

Pars prior: De syntaxi.

I.

De partibus orationis.

De substantivis.

Pluralis numerus substantivorum abstractorum saepissime usurpatus est a Sulpicio Severo. In iis, quae huc pertinent, enumerandis secutus sum distributionem a Draegero factam (syntax und stil des Tacitus p. 1 sq.). Significant haec tubstantiva:

1) tempestatem: ardores Chr. I 43, 2. D. I 13, 2 Sall. Iug. 18, 9. Tac. hist. 5, 6.

2) animi affectum: irae Chr. I 23, 2. D. I 12, 3. D. II 12, 9. Liv. 8, 33, 7. Tac. ann. 1, 55.

3) animi habitum: dissensiones Chr. II. 51. 8. Sall. hist. 1, 7. Tac. Agr. 32.

4) motionem: occursus D. I. 21, 3. D. II. 12, 10. Liv 3, 26, 2.

Certis legibus distingui non possunt: adulationes Chr. II. 38, 1. Liv. 9, 18, 4. Tac. ann. 2, 32. — captivitates. Chr. II. 30, 8. 15, 7. Tac. hist. 3, 70. — coitiones Chr. I. 18, 8. Liv. 2, 35, 4. — dignitates Chr. II. 27, 3. Liv. 2, 40, 4. — expeditiones D. I. 22, 1. Liv. I. 54, 2. Tac. hist. 4, 15.

— insectationes E. II. 12. D. I. 2, 14. D. II. 12, 3. Tac. ann. 2, 55. — professiones Chr. II. 44, 6 et 8. Liv. 35, 7, 4.

Sallustius et imprimis Livius et Tacitus substantivi concreti singularem numerum pro plurali adhibent ita, ut singularis collectivam vim habeat. Sulpicius Severus cum illis communia habet: hostis Chr. I. 22, 5. Sall. Cat. 9, 4. Liv. 6, 24, 2. Tac. ann. 2, 55. — miles D. II. 6, 2. Sall. Iug. 45, 2. Liv. 3, 42, 5. Tac. hist. 1, 4.

Restat, ut de singulorum substantivorum usu pauca dicamus. Amantissimus est Sulpicius Severus vocis, „tempestas“, quam ita adhibet, ut temporis momentum significet. Rarissime ita usurpatur „tempestas“ a Cicerone, quod eius aetate haec significatio obsoleta esse putabatur (cfr. Krebs: Antibarbarus); sed Sallustius, antiquitatis studiosissimus, eam ab antiquioribus scriptoribus mutuatus est, quem secuti sunt Livius et Tacitus. Sulpicii Severi, quae inveniuntur exempla, sunt haec; Chr. I. 2, 7. 4, 3. 5, 2. 5, 4. 8, 2. 11, 8. 13, 3. 27, 2. 28, 1. 32, 1. 33, 9. 34, 3. 35, 5. 36, 1 et 4. 37, 4. 38, 1. 43, 3. 44, 1. 54, 2. Chr. II. 2, 1. 7, 6. 8, 3. 11, 1. 12, 3. 13, 1 et 2. 17, 5. 20, 1 et 4. 23, 1. 31, 3. 32, 4. 37, 6. 42, 2. 48, 1 et 5 50, 4. A ceteris scriptoribus posterioribus rarius vox „tempestas“ hac significatione usurpata est.

Idem dicendum est de voce „claritudo“, quae, ut multa substantiva in — tudo desinentia, magis magisque cesserat formationi in — tas exeunti atque Ciceroni inusitata a Sallustio revocata est, quem Tacitus sequitur. Sulpicii Severi duo exstant loci: Chr. I. 19, 2 et 19, 9, duo quoque Sallustii: Jug. 2, 4 et 7, 5, complures Taciti; apud alios scriptores rarissime invenitur.

De adiectivis.

Primum quidem dicamus de adiectivis et participiis substantivorum loco positis. Omnes scriptores Romani adiectiva et participia pro substantivis saepe usurpant in

plurali numero, si casus terminatione genus intellegi potest i. e. in nominativo et accusativo. Ab hoc vulgari usu Sallustius[1]) haud ita multis locis, Livius[2]) et Tacitus[2]) saepe recedunt ita, ut pluralem adiectivi etiam in genetivo, dativo, ablativo usurpent, cuius usus, qui rarus est apud optimos scriptores, apud Sulpicium Severum quoque satis multa inveniuntur exempla.

Masculina pluralis numeri:

Genetivus: impudicorum Chr. I. 6, 5. provincialium Chr. II.34, 2. supplicum Chr. I. 41, 1. impiorum Chr. I. 52, 4. gentilium Chr. II. 1, 3. popularium Chr. II. 18, 6. sanctorum Chr. II. 32, 3. infelicium Chr. II. 50, 5. rusticorum M. 13, 9. stultorum D. I. 21, 1. — devictorum Chr. I. 33, 9 perditorum D. I. 9, 4. cfr. Sall. hist. I. 41, 17 innoxiorum Liv. 5, 20, 6 otiosorum urbanorum.

Dativus: ingratis Chr. I. 26, 4. impudicis Chr. II. 1. 5. finitimis Chr. II. 14, 4. miseris M. 2, 8. pauperibus M. 25, 5. incautis E. III. 7. gentilibus D. II. 4, 5. fidelibus, infidelibus D. II. 12, 11. fretis Chr. II. 21, 6. — egressis Chr. I. 15, 3. obsessis Chr. I. 23, 2. subnixis Chr. II. 38, 1. constitutis D. II. 13, 7. cfr. Sall. Cat. 54, 3 miseris.

Ablativus, qui plerumque cum praepositionibus coniunctus est: a prudentibus Chr. I. 2, 4. a regiis Chr. II. 20, 1. ab improbis Chr. II. 28, 3. ab imperitis Chr. II. 48, 2. — ex victis Chr. I. 24, 2. cfr. Sall. Cat. 60, 4 pro sauciis. Tac. hist. 2, 20 a Graeciae sapientissimis. Liv. 31, 36, 11 ab emissis.

Neutra pluralis numeri:

Genetivus: interiorum Chr. I. 19, 9. — futurorum Chr. II. 2, 1. gestorum D. III. 1, 3. cfr. Liv. 3, 37, 3 taedio praesentium. Tac. ann. 2, 53 tristium laetorumque (cfr. Nipperdey ad ann. 3, 18).

---

1) Anschütz: „Selecta capita de syntaxi Sallustiana.“ p. 24—33.

2) Draeger s. h. I. pag. 50 sqq.

Dativus: falsis Chr. II. 14, 7. criminosis Chr. II. 37, 5. incertis M. 11, 2. — gestis Chr. I. 1, 2. dictis M. 1, 9. cfr. Sall. Cat. 17, 6 ineptis favere. Liv. 23, 14, 3 honesta utilibus cedunt. Tac. ann. 2, 27 facilem inanibus.

Ablativus: mediis Chr. I. 4, 7. in saecularibus Chr. II. 14, 4. immundis Chr. I. 27, 2. de superioribus Chr. II. 16, 5. in excellentibus M. 19, 5. cum pravis D. I. 6, 3. maximis D. II. 5, 3. — de futuris, de praeteritis Chr. II. 3, 8. obiectis M. 22, 2. cfr. Liv. 26, 12, 17 convictus veris. Tac. ann. 4, 58 obscuris. Apud Sallustium in genetivo et dativo pluralis neutrius generis adiectiva pro substantivis posita non inveniuntur.

De usu singulorum adiectivorum commemorandum est, Sulpicium Severum adiectiva in — „osus" exeuntia summo studio usurpavisse, qua in re exemplo ei fuerunt Sallustius et Livius (cfr. Brünnert: „De Sallustio imitatore Catonis Sisennae" p. 46. et Kühnast l. l. pag. 339.), Praeter ea, quae apud omnes scriptores satis saepe leguntur (ambitiosus, criminosus, fructuosus, gloriosus, invidiosus, periculosus, religiosus, studiosus, speciosus, sumptuosus, vitiosus, curiosus, fabulosus, verbosus, copiosus, calamitosus, perniciosus, quaestuosus, superstitiosus) in Sulpicii Severi libris ad Sallustium, Livium, Tacitum spectant haec. — confragosus M. 19, 4. Liv. 5, 26, 5. — formidulosus Chr. I. 20, 7. Sall. Cat. 7, 2. Liv. 8, 8, 13. Tac. hist. 1, 6. — factiosus Chr. II. 40, 4. Sall. Cat. 18, 4. — incuriosus Chr. I. 29, 9. 40, 2. Chr. II. 45, 2. Sall. hist. 4, 65. Liv. 29, 3, 8. Tac. ann. 6, 17.

Praeter ea, quae attulli, apud Sulpicium Severum legitur: compendiosus Chr. I. 1, 1, quod omnino raro usurpatum, a Sallustio, Livio, Tacito, quantum video, prorsus alienum est.

„Inquies" adiectivum pro voce „inquietus" legitur Sulp. Sev. Chr. II. 46, 3. Krebs (Antib. pag. 599) vocem „inquies" priscam esse dicit, quam Sallustius, priscorum

verbornm amantissimus eiusque imitator Tacitus receperunt, quos Sulpicius Severus secutus est. Sallustius et Tacitus saepius hoc vocabulo utuntur; exempli causa commemoro Sall. hist. I. 48, 11. Tac. ann. 1, 65.

Sallustii, Livii, Taciti more Sulpicius Severus „alii" vocem pro „reliqui, ceteri" usurpavit D. III. 10, 2 „tum Cato diaconus negat per totum diem sibi ullam cessisse capturam, sed neque alios piscatores, ... quicquam agere quivisse." Huius usus nulla extant exempla Ciceroniana,[1]) Sallustii pauca laudantur cfr. Cat. 43, 3 „seque, si pauci adiuvarent, languentibus aliis impetum in curiam facturum," permulta Livii et Taciti, quorum affero Liv. 1, 7, 3 „sacra diis aliis Albano ritu, Graeco Herculi . . . . facit" et Tac. ann. 1, 30 „desolatus aliorum discessione;" posterioris aetatis scriptores, quantum video, hunc usum non imitati sunt.

Restat, ut de vocabulo „mortales" pro „homines" usurpato pauca dicam. Cicero hanc vocem pro hominibus non usurpat nisi additis adiectivis „omnes" vel „multi," apud Caesarem pro „homines" omnino non legitur (cfr. Krebs Antib.) Saepe hac voce adiectivis attributivis omissis usus est Sallustius, quem Livius et Tacitus secuti sunt. Apud Sulpicium Severum quattuor extant exempla: Chr. I. 4, 4. D. I. 5, 5. mortales. Chr. II. 34, 3 mortalium, Chr. I. 5, 4 inter mortales.

De adverbiis.

„Adhuc" de tempore praeterito positum rarissime apud Ciceronem legitur, in Sallustii usu omnino non est Sed neque Livius neque Tacitus[2]) aspernati sunt hunc

---

1) Draeger s. h. I. pag. 104 sq.
2) Draeger, Tacitus pag. 8 sq.

usum. Sulpicii Severi uonnulla exempla afferre satishabeo, quod ea iam collegit Lönnergren (l. l. pag. 17.). M. 17, 3 „nam Taetradius eo tempore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur.“ M. 5, 3 „quos adhuc gentilitas detinebat“ cfr. Liv. 24, 22, 8 „ . . . inflato adhuc regiis animis ac muliebri spiritu.“ Tac. ann. 3, 42 „inconditam adhuc multitudinem disiecit“.

Saepe apud Sulpicium Severum adverbium „ceterum“ vocis „sed“ loco positum est, quod dicendi genus a Sallustio, Livio, Tacito satis usurpatum apud Ciceronem et Caesarem non invenitur.[1]) cfr. Sulp. Sev. Chr. II. 14, 7. 36, 4. 38, 5. 39, 9. 51, 1 et 7. E. 1, 8. D. II. 8, 2. 10, 4. 14, 1. D. III. 5, 2.

Livii et Taciti more Sulpicius Severus „mox“ pro „deinde“ vocabulo usurpavit. cfr. Chr. I. 5, 3 „mox annonae inopia Aegyptum concessit“ (Alia exempla Lönnergren laudat pag. 18.). Etiam in enumeratione „mox“ idem valet atque „deinde“. Chr. I. 35, 4 „ac primum fugiens ad Samuelem se contulit, inde ad Abimelech, postremo ad regem Moab confugit, mox per Gad prophetam monitus in terram Judae regressus vitae periculum adiit“. Liv. 33, 8, 9 „primo, ut in iugum evasit . . . . . ingenti gaudio est elatus, mox refugientibus suis . . . . . trepidavit; deinde ut appropinquabat hostis . . . . gladiis rem gerere iubet“ Tac. ann. 11, 12 „creatique primum Valerius Potitus et Aemilius Mamercus . . .; dein . . . duo additi . . .', mox duplicatus numerus“.

De verbis.

Ut iteratam verbi actionem significent scriptores Romani utuntur verbis, quae dicuntur, frequentativis, quibus

1) Kühner, ausführliche grammatik der lateinischen sprache II. pag. 685.

summo studio et amore indulgent Sallustius,[1]) Livius,[2]) Tacitus.[3]) Hunc loquendi usum Sulpicius Severus imitatus est, qui communia habet cum tribus illis rerum scriptoribus praeter usitatissima illa: „agitare, captare, dictare, frequentare, incitare, insectari, minitari, occultare, sustentare, suscitare, tentare, crepitare, palpitare, usitare, visitare, victitare, adventare, intentare, periclitari, sciscitari“ haec: clamitare Chr. II. 13, 8. Liv. 9, 24, 9. Tac. ann. 3, 23. — coniectare D. III. 4, 4. Liv. 5, 21, 16. Tac. ann. 1, 32. — imperitare Chr. I. 24, 1. Chr. II. 9, 1. Sall. Jug. 19, 7. Liv. 1, 2, 3. Tac. ann. 2, 2. — increpitare Chr. II. 8, 5. Liv. 1, 7, 2. — pensitare Chr. II. 19, 6. 21, 4. 25, 3. Liv. 4, 41, 3. — vocitare Chr. I. 53, 2. Chr. II. 6, 1. 14, 2. Liv. 4, 61, 10. Tac. hist. 1, 13.

In tertia persona pluralis perfecti activi pro usitata terminatione „erunt“ formam in „ere“ desinentem usurpari satis notum est; sed diserepantia intercedit inter scriptores Romanos, qui alius alia potissimum forma utuntur. Liceat mihi afferre, quod Kühner l. l. I. pag. 437 sq. dicit de hac re: „Cicero, Caesar, Cornificius bedienten sich fast durchweg der form auf —runt, nur selten der auf —re .... hingegen hat Cato wie es scheint gewöhnlich die form auf —re gebraucht .... auch Sallustius gebraucht fast nur die form auf —re, die auf —runt selten .... andere historiker gebrauchen beide formen ziemlich gleich oft; Livius gebraucht die form auf —re ungemein häufig“. Multos illos locos Sallustianos Laws[4]) diligenter et accurate collegit, et quam sit crebra haec brevior forma apud Tacitum invenies, quocunque loco eius libros evolveris. Sulpicius Severus quoque formae in —ere exeuntis est eman-

1) Schultze: „De archaismis Sallustianis“ pag. 67.
2) Kühnast l. l. pag. 343.
3) Schoenfeld; „De Taciti studiis Sallustianis“ pag. 18.
4) „De dicendi genere Sallustii commentatio“ pag. 10 sq.

tissimus: concessere Chr. I. 5, 4. 34, 5. Chr. II. 8, 1. — interiere Chr. I. 38, 7. 44, 5. 45, 5. — scripsere Chr. I. 36, 5. — cepere Chr. I. 22, 5. — petiere Chr. I. 39, 5. Chr. II. 23, 4. — exploravere Chr. I. 48, 4. — pervertere Chr. II. 48, 2. — vertere Chr. II. 48, 5. — pervicere Chr. II. 7, 2. — pervexere Chr. II. 10, 3. — paruere Chr. II. 10, 4. — successere Chr. II. 15, 9. — defuere Chr. II. 19, 8. — fuere Chr. II. 21, 7. 39, 2. 42, 6. 46, 2. — coepere Chr. II. 30, 2. 44, 6. — irrupere Chr. II. 30, 4. — extulere Chr. II. 39, 1. — misere Chr. II. 42, 3. — dedere Chr. II. 43, 4. 45, 2. — abnuere Chr. II. 45, 4. — interfuere Chr. II. 47, 1. E. III. 5. — cessere Chr. II. 47, 7. D. I. 48, 4. — sparsere Chr. II. 48, 2. — infecere Chr. II. 48, 2. — pervenere Chr. II. 48, 4. — repetivere Chr. II. 48, 6. — recepere Chr. II. 48, 6. — habuere M. 13, 4. — egere M. 18, 4. — videre D. II. 2, 2. — fecere D. II. 3, 3. — innotuere, potuere D. II. 4, 2. Respiciendum est hac in re, Sulpicio Severo ne multis quidem locis occasionem fuisse ad hanc formam usurpandam, cum praesenti historico, quod dicitur, valde indulgeret.

Infinitivus historicus, apud Ciceronem et Caesarem non tam frequens, omnium scriptorum Romanorum latissime patet apud Sallustium, quod exempla, quae collegit Laws (l. l. pag. 2 sqq.) docent. A Livio quoque et Tacito frequenter usurpatus est infinitivus historicus, sed si comparamus tres illos scriptores, Sallustio hoc genus dicendi multo magis placuisse quam Tacito[1]) et Livio[2]) elucet. Sulpicius Severus, qui non raro infinitivum historicum adhibet, recedit a Sallustii, Livii, Taciti usu eo, quod saepe singulos infinitivos usurpat, cum illi plerumque complures coniungant.

Singuli infinitivi leguntur: instare Chr. I. 22, 5. causari Chr. I. 43, 4. hortari Chr. II. 4, 5. negare Chr. II.

1) Draeger, Tacitus pag. 13.

2) Kühnast l. l. pag. 245.

8, 5. deflere Chr. II. 11, 3. convenire Chr. II. 41, 2. profiteri Chr. II. 44, 2. instare Chr. II. 47, 5. commovere M. 13, 2. negare M. 17, 2. comminari M. 23, 4. polliceri D. I. 18, 3. apparere D. II. 3, 8. fateri D. II. 4, 8. abnuere D. II. 11, 2. orare D. III. 2, 5.

Complures infinitivi coniuncti inveniuntur: precari — obicere Chr. I. 38, 8. minitari — imperare Chr. I. 50, 5. ridere — gemere M. 3, 2. mutare — minitari M. 13, 6. perstare — orare M. 16, 5. stupere — flere — praedicari M. 13, 9. exsequi — observare — habere Chr. I. 33, 7. obviam ruere — festinare — exsultare — grates Deo referre Chr. I. 31, 5. Quinquies ligitur: Chr. I. 32, 5 „at ille placide salubri oratione ab insana voluntate detorquere plebem, dominationem regiam et superba imperia exponere, libertatem extollere, servitutem detestari, postremo divinam eis iram denuntiare". Chr. I. 35, 8 „ad haec Saul culpam fateri, veniam precari, lacrimas fundere, pietatem David extollere, malitiam suam incusare". M. 2, 8 „adsistere laborantibus, opem ferre miseris, alere egentes, vestire nudos, nihil sibi ex militiae stipendiis praeter cotidianum victum reservare."

Semel apud Sulpicium Severum infinitivum historicum excipit verbum finitum: Chr. I. 26, 4 „at illi flentes culpam fateri et veniam precari, abiectisque idolis Deum implorantes negatam licet misericordiam impetraverunt". cfr. Sall. Cat. 16, 2 „commodare — habere — imperabat". Liv. 3, 4, 6 „responderunt — haberi — invenit". Tac. ann. 11, 37.

Multo rarius quam verbi activi invenitur infinitivus historicus verbi passivi. Antiquiorum scriptorum perpauca exstant exempla; sed Sallustii satis multa laudat Badstübner[1]) atque Livius et Tacitus hunc Sallustii morem retinuerunt. Sulpicius Severus haec habet exempla: Chr. II. 7, 4

1) „De Sallustii dicendi genere commentatio" pag. 45.

„Daniel clarus ante clarior haberi". M. 13, 9 „tum vero ... stupere miraculo, monachi flere prae gaudio, Christi nomen in commune ab omnibus praedicari". D. I. 18, 3 „ille vero nihil ... permoveri". cfr. Liv. 9, 40, 14 „iam strage hominum armorumque insignium campi repleri". Tac. ann. 4, 69 „notae ignotaeque aures vitari". Sall. Cat. 27, 2 „ipse cum telo esse, item alios iubere, hortari ... dies noctesque festinare, vigilare, neque insomniis neque labore fatigari".

Restat, ut pauca dicamus de temporum usu. Sulpicius Severus perfectum aliquoties plusquamperfecti loco usurpavit. E. III. 17 „testatique nobis sunt, qui ibidem fuerunt, vidisse se vultum eius tamquam vultum angeli". D. III. 3, 5 „mirum et illud, quod huic memini contigisse. vas vitreum cum oleo, quod Martinus benedixerat, in fenestra paululum editiore deposuit". Haec temporum permutatio Ciceroni et iis, qui ante Ciceronem scripserunt, usitata fuisse non videtur.[1]) Sallustii iam in usu erat. cfr. Jug. 70, 1 „per idem tempus Bomilcar, cuius impulsu Jugurtha deditionem, quam metu deseruit, inceperat ....". Plura Livii laudantur exempla. cfr. 1, 1, 1 „.... quia pacis reddendaeque Helenae semper auctores fuerunt, omne ius belli Achivos abstinuisse". Saepe quoque apud Tacitum invenitur hic usus. cfr. ann. 1, 53 „.... litteraeque, quas Julia patri Augusto cum insectatione Tiberii scripsit, a Graccho compositae credebantur". A scriptoribus posterioris aetatis hic usus, quantum video, alienus est.

Saepissime plusquamperfectum vim habet perfecti. Chr. I. 31, 1 „quibus rebus offensus Deus maximeque malitia hominum, quae ultra modum processerat, delere penitus humanum genus decreverat". Chr. II. 20, 2 „Matthathias oppido egressus, multis ad eum confluentibus, speciem iusti exercitus effecerat". M. 7, 4 „tum vero magna ad Dominum voce conversus gratias agens cellulam clamore

---

1) Draeger s. h. I. pag. 258.

compleverat". D. I. 17, 6 „plerumque vidi, ut dudum dixeram, uno in loco habitare centenos". Compluribus exemplis rem illustrare supervacaneum est, cum Lönnergren (l. l. pag. 56) magnam copiam attulerit. Hoc loquendi genus rarissime usurpatum est a Cicerone, saepius invenitur apud Sallustium. cfr. Cat. 18, 6 „ea re cognita rursus in nonas Februarias consilium caedis transtulerant". Sallustium Livius secutus est, cfr. 2, 18, 19 „Sabinis etiam creatus Romae dictator eo magis, quod propter se creatum crediderant, metum incussit". Complura exempla exhibet Tacitus, cfr. ann. 1, 63 „tunc nova acie turbatus eques; missaeque subsidiariae cohortes et fugientium agmine impulsae auxerant consternationem ...." Sed invenitur hic usus, quamquam raro, apud Senecam, Apuleium, alios.

II.

De enuntiato simplici.

De praedicato.

Sulpicius Severus cum Sallustio, Livio, Tacito eo maxime consentit, quod saepissime omittit verbi substantivi formas. Indicativi omissio, imprimis in enuntiatis primariis, haud raro iam apud optimos scriptores invenitur. Sed Sulpicius Severus non solum indicativi formas in enuntiatis primariis et secundariis, sed etiam coniunctivi omittit secutus Sallustium, Livium, Tacitum.

Indicativi in enuntiatis primariis omissi pauca sufficiant exempla. Omittitur „est": Chr. I. 3, 5 „... id gestum a mundi exordio annos $\overline{\overline{\text{II}}}$ CC duos et quadraginta". Chr.

I. 5, 1 „Abraham autem patre Thara natus". Chr. I. 6, 2 „tunc ei atque uxori eius adiectione unius litterae nomen immutatum". — „sunt": Chr. I. 23, 3 „ita ille .... supervenit caesaque ad internecionem multa hostium milia". Chr. I. 24, 1 „huius ductu res prospere gestae". Chr. I. 29, 5 „tertio (sc. proelio) demum Beniamitae victi caesique ad internecionem".

Imperfecti indicativi formae omittuntur a Sulpicio Severo: „erat": Chr. I. 10, 6 „carus admodum Joseph patri obque id invisus fratribus". Chr. I. 33, 5 „castra ... periculum ostendebant, neque cuiquam exeundi in proelium animus". Chr. II. 46, 4 „vigilare .... poterat, habendi minime cupidus, utendi parcissimus". E. III. 10 „tunc vero maeror et luctus omnium et vox una plangentium". cfr. Liv. 8, 17, 10 „eo certamine superior Alexander".

„erant": Chr. II. 18, 5 „inde inter Jasonem et Menelaum foeda certamina". Liv. 5, 26, 9 „obsidio inde urbis et munitiones". Saepe apud Tacitum „erat" vel „erant" omissa sunt.

In enuntiatis secundariis Sulpicius Severus indicativi formas verbi substantivi omittit praecedentibus particulis: postquam, cum, quia, ubi, donec.

„postquam": Chr. II. 30, 2 „quae postquam ad Vespasianum delata". cfr. Sall. Jug. 109, 2 „postquam ... congressi". Liv. 21, 15, 3 „octavo mense quam coeptum oppugnari captum Saguntum ...." Tac. ann. 2, 9 „postquam digressi". — „cum": Chr. II. 33, 6 „cum in caelum Dominus nube sublatus". Sall. Jug. 71, 1 „sed cum eae litterae adlatae". Liv. 29, 10, 1 „cum P. Licinii litterae Romam adlatae". — „quia": Chr. II. 23, 2 „quia infido ingenio male usus". Sall. Jug. 18, 12 „quia Libues quam Gaetuli minus bellicosi". Tac. ann. 6, 37 „quia eorum .... certior fides". — „ubi": Chr. II. 2, 3 „quod ubi Danielo compertum". Sall. Jug. 77, 3 „ubi ea impetrata". Liv. 22, 5, 6 „ubi in omnis partis nequiquam impetus capti". Tac.

ann. 2, 83 „ubi crematus". — „donec": Chr. II. 9, 1 „donec centesimo fere anno .... ab aedificando deterriti". Liv. 10, 1, 5 „donec ... fauces congestis lignis accensae". Tac. ann. 4, 74 „donec id quoque vetitum".

Haud raro in enuntiatis relativis verbum substantivum deest apud Sulpicium Severum. cfr. Chr. II. 46, 1 „sequuntur tempora, quibus non usitato malo pollutae ecclesiae et turbata omnia". cfr. Liv. 10, 30, 4 „quo in Sentinati agro bellatum". Tac. ann. 1, 33 „quorum causae acriores". Sall. Jug. 89, 5.

Coniunctivi formae omissae sunt: Chr. II. 4, 6 „quid de ea postea actum, sacris litteris siletur". Chr. I. 19, 5 „iusto dolore improbum populum nisi a Moyse exoratus delesset". E. II. 17 „quo spes nostra tenenda, quo animus dirigendus, instruxit". D. I. 11, 4 „cum ingressi pariter ambo, conspiciunt palmiciam sportam". cfr. Sall. Jug. 88, 6 „an mobilitate ingenii pacem atque bellum mutare solitus". Liv. 42, 5, 3 „ut quae sub dicione eius urbes .... vellent". Tac. ann. 1, 11 „se didicisse, quam arduum, quam subiectum fortunae regendi cuncta onus".

Infinitivus „fuisse" deest: Chr. II. 11, 7 „sed consummatio restitutae urbis XXX. et II. imperii Artaxerxis anno refertur". Chr. II. 14, 4 „idque vel ex hoc conicio, quod idem Ochus .... natura immitis cupidusque bellorum traditur". D. III. 17, 6 „sciant Athenae, non sapientiorem in academia Platonem nec Socratem in carcere fortiorem ...." cfr. Tac. ann. 1, 80 „sunt, qui existument, ut callidum eius ingenium, ita anxium iudicium". Sallustius aliquoties, Livius et Tacitus saepe „fuisse" omittunt apud participium futuri activi. cfr. Sall. Cat. 27, 2. Liv. 23, 2, 5. Tac. ann. 2, 31.

De casibus.

1) De accusativo.

Accusativum localem, de terrarum nominibus usurpatum, apud Ciceronem uno tantum loco inveniri Kühnast l. l. pag. 156 docet; Sallustii, Livii, Taciti complura afferuntur exempla. Apud Sulpicium Severum leguntur: Chr. I. 5, 3 „Aegyptum concessit". Chr. II. 24, 3 „Cretam confugerat".

Accusativus Graecus, cum verbis passivis reflexive usurpatis et cum verbis vere passivis coniunctus, quem poetae in linguam Latinam induxerunt, apud Sulpicium Severum saepius invenitur. Hanc constructionem Graecam a poetis primo usurpatam Sallustius in prosam orationem induxit,[1]) quem secuti sunt Livius et Tacitus. Praeter usitatam vocem „induere" (cfr. M. 3, 2. E. I. 12) Sulpicius Severus haec verba cum accusativo Graeco coniungit:

„erudire": E. I. 7 „ut ex his humana mens erudiretur naufragiorum atque serpentium casus". — „desecare": E. II. 10 „desecari membra". — „conspergere": D. II. 3, 9 „caput atque ora conspersi". A plurimis prosae orationis scriptoribus et aureae et posterioris aetatis hic accusativus prorsus alienus est (cfr. Draeger, s. h. I. p. 362).

Nonnulla verba et simplicia et cum praepositionibus composita Sulpicius Severus cum accusativo coniungit secutus Sallustium, Livium, Tacitum, cum ceteri scriptores in universum praepositiones addiderint aut alia constructione usi sint.

Haec verba simplicia cum accusativo coniuncta huc pertinent:

„fungi" saepius cum accusativo coniunctum invenitur. Chr. I. 7, 7 „Abraham diem functus est". Chr. I. 36, 1.

---

1) Draeger, s. h. II. praef. pag. VII.

46, 4. 47, 1. 49, 5. 53, 1. Chr. II. 6, 1. 26, 3. Apud Ciceronem, Caesarem, Sallustium, Livium accusativus, excepta constructione participii futuri passivi, non invenitur; Taciti duos locos laudat Nipperdey: ann. 3, 2. 4, 38.

„potiri“: Chr. I. 45, 2 „imperium potitus est“. Chr. I. 46, 4 „victoriam potitus est“. Sallustius semel cum accusativo construit hist. inc. libr. 118 item atque Tacitus ann. 11, 10. Quae Ciceronis laudantur exempla, incerta sunt (cfr. Draeger s. h. I. pag. 570).

Verba cum praepositionibus composita:

„egredi“: Chr. I. 3, 5 „ita Noe arcam egressus est“. M. 7, 3 „egredi cellulam“. Apud Sallustium cum accusativo ter coniungitur: Jug. 110, 8. hist. I. 87. hist. III. 33, sed his tribus locis non significat „exire“, sed „supergredi“. Notionem „exire“ exhibens cum accusativo coniunctum est a Livio 1, 29, 6 „egressis urbem Albanis“ et a Tacito: ann. 1, 30 „egredi tentoria“. Sed invenitur hic usus apud Caesarem quoque; apud posteriores scriptores cum accusativo coniunctum plerumque significat „supergredi“.

„praeire“: Chr. II. 23, 1 „praeeuntibus aciem cum ingenti terrore elefantis“. Tac. ann. 6, 21 per avia ac derupta praeibat eum“.

2) De dativo.

Dativi contra usitatum dicendi morem cum verbis coniuncti Sulpicio Severo cum Livio et Tacito communia sunt haec exempla:

„Assultare“: Chr. I. 50, 5 „rex Assyrius portis assultans“. Aliquoties apud Tacitum invenitur, cfr. ann. 2, 13 „assultatum est castris“.

„invehere“: D. I. 23, 4 „cum urbi invexit“. Liv. 22, 5, 8 „mare fluminibus invexit“. Tac. ann. 2, 23 „per flumen Amisiam Oceano invexit“.

„superstare“: D. III. 9, 1 „cui idolum superstabat“. cfr. Liv. 40, 2, 2. Tac. hist. 3, 82.

Dativum apud omnes scriptores Romanos, Caesare excepto, verbis passivis „ab“ praepositionis loco subici nemo est, qui nesciat. Sed apud Ciceronem principesque scriptores prosae orationis hic dativus semper fere cum participio perfecti et cum temporibus ab illo derivatis coniunctus est, rarissime autem accidit, ut subiciatur temporibus, quae vocantur, simplicibus. Sallustius hac in re non multum discrepat a melioribus scriptoribus; sed Livius et Tacitus non solum tempora composita, sed etiam simplicia haud raro ita construunt, item Sulpicius Severus. Quod attinet ad tempora composita pauca sufficiant exempla. Chr. I. 4, 7 „sed filiis Noe ita divisus orbis fuit“. Chr. II. 4, 6 „nobis nihil compertum“. D. I. 1, 5 „qui etsi mihi parum cognitus est“. D. III. 1, 3 „fateor enim tibi .... mihi saepius auditas esse virtutes“.

Dativi cum temporibus simplicibus coniuncti haec inveni exempla: Chr. I. 20, 5 „exploratoribus in eam missis renuntiatur“. Chr. II. 4, 6 „sacris litteris siletur“. Chr. II. 14, 8 „. . . ut alia agentibus aut alia quaerentibus haec quoque cum reliquis miscerentur“. D. I. 26, 7 „verum nobis ad alia properantibus omnis illorum memoria relinquatur“. D. II. 4, 8 „tota nobis istorum memoria relinquatur“. cfr. Liv. 5, 6, 14 „non uni aut alteri militi, sed universis exercitibus .... audiuntur“. Tac. ann. 1, 11 „Tiberio .... implicabantur“. Ceteri posterioris aetatis scriptores hac in re in universum cum optimis scriptoribus consentiunt.

Dativus pendens a substantivis, ubi exspectamus genetivum, raro apud praestantiores scriptores legitur. Apud Sallustium quoque non multis locis invenitur hic usus, qui late patet apud Livium et Tacitum (cfr. Draeger, Tacitus pag. 25 sq.). Apud Sulpicium Severum haec inveni exempla: Chr. I. 2, 7 „quibus caelum sedes erat“. Chr. I. 29, 5 „huic bello dux fuit“. Chr. I. 30, 1 „huic pater Elchana“. Chr. II. 48, 2 „sed iter eis praeter interiorem Aquitaniam“. E. I. 14 „verbis meis Dominus est testis“. cfr. Sall. Cat.

40, 3 „. . . miseriis suis remedium mortem exspectare". Liv. 2, 36, 2 „periculum urbi fore". Tac. ann. 2, 21 „solam internecionem gentis finem bello fore".

3) De genetivo.

Neutris adiectivorum numeri singularis et pluralis persaepe Sulpicius Severus adiungit genetivum. Raro hanc structuram apud meliores scriptores inveniri grammatici docent.[1]) Inde a Sallustii aetate magis magisque in prosam orationem irrepsit hic usus,[2]) cuius in Livii[3]) et Taciti[4]) operibus permulta leguntur exempla. Posterioris aetatis scriptores hoc dicendi genere raro usi sunt (cfr. Draeger, s. h. I. pag. 456), saepe Sulpicius Severus, cuius in libris praeter usitata illa: „adversa gentis, reliquum noctis, profundum putei, multum diei" ad Sallustii, Livii, Taciti imitationem spectant haec: Chr. II. 46, 7 „pleraque Hispaniae." Sall. Jug. 102, 9 „humanarum rerum pleraque". Liv. 21, 35, 11 „pleraque Alpium". Tac. hist. 2, 98 „pleraque consiliorum". — D. I. 9, 7 „plurimum monachorum" Sall. Cat. 17, 2 „plurimum audaciae." — D. I. 13, 1 „prima eremi". Tac. ann. 2, 16 „prima silvarum." — D. II. 5, 3 „minima illius aliorum maximis maiora". Sall. Jug. 102, 7 „offensae minimum". — Chr. II. 15, 9 „ima montium." Liv. 22, 17, 2 „ima cornuum". Tac. ann. 12, 24 „per ima montis." — D. III. 13, 3 „secreta silvarum". Liv. „secretum loci". (cfr. Kühnast l. l. pag. 78). Tac. ann. 4, 41 „secreto loci."

Hanc structuram aureae aetatis scriptores praeter Sallustium prorsus aspernati sunt, si adiectiva neutrius generis pendent a praepositionibus (cfr. Draeger s. h. I.

---

1) Draeger, s. h. I. pag. 453.
2) Anschütz l. l. pag. 32.
3) Kühnast l. l. pag. 78.
4) Draeger, Tacitus pag. 29 sq.

p. 456). Sallustius primus ita locutus est et duo—quantum video - inveniuntur exempla: Jug. 37, 4 „in praerupti montis extremo“. Jug. 93, 2 „ad summum montis.“ Frequentior hic usus est apud Livium, Tacitum, Sulpicium Severum. Chr. I. 35, 6 „in huius interiora.“ Chr. I. 45, 4 „de exiguo olei“. M. 1, 7 „ad omnia illius“. E. I. 6 „supra profunda maris.“ D. I. 9, 6 „ad Egypti extrema.“ D. I. 18, 4 „intra camini illius concava.“ Chr. I. 17, 6 „circa ima montium“. D. III. 6, 3 „in medio ecclesiae“. M. 23, 5 „in medio vestrum“. Liv. 6, 23, 2 „in medium campi.“ Tac. ann. 15, 18 „medio Capitolini montis“. Raro apud ceteros scriptores posteriores invenitur haec structura.

Genetivus, insolentius adiectivo adiunctus, Sulpicio Severo cum Sallustio, Livio, Tacito communis est: „promptus“. Chr. II. 46, 3 „disserendi ac disputandi promptissimus“. cfr. Sall. hist. II. 13. Tac. hist. 2, 23.

Genetivus appositionalis, qui decitur, in universum rarissime a scriptoribus Romanis usurpatus, latius patet apud Livium et Tacitum; apud Sulpicium Severum quoque non raro legitur. Lönnergren l. l. pag. 40 laudat haec exempla: Chr. I. 43, 4 „Saraptae oppidum“. Chr. II. 26, 2 „Hyrcani cognomen“. D. I. 16, 3 „ibicis nomen“. Chr. I. 16, 4 „arboribus palmarum“. Chr. I. 27, 3 „olivarum arbores.“ His addo: Chr. I. 25, 3 „terra Aegypti“.

4) De ablativo.

Nonnullis locis apud substantiva appellativa Sulpicius Severus Sallustium, Livium, Tacitum secutus ablativum separationis, qui dicitur, usurpavit, ubi aureae et posterioris aetatis scriptores praepositionibus „a, de, ex“ usi sunt.

Ita cum ablativo coniuncta sunt:

„detrudere“. Chr. II. 51, 5 „episcopatu detrusus“. Tac ann. 2, 17 „collibus detrudebantur“.

„eruere“. M. 9, 1 „monasterio erui“. Tac. ann. 2, 69. „solo ac parietibus erutae humanorum corporum reliquiae“.

„eximere“. Chr. I. 54, 5 „carcere exemptus“. Chr. I. 11, 6. Classici, qui vocantur, scriptores adhibent praepositiones „ex“ aut „de“, posteriores praeter praepositiones „ex“ et „de“ dativum saepe cum hac voce coniungunt; Livius primus usurpavit ablativum cfr. 33, 23, 2 „servitute exemptos“ et saepius.

„emergere“. Chr. II. 15, 7 „malis emersisse“. Sall. hist. IV. 22 „navigia fundo emergunt“. Tac. ann. 1, 65 „paludibus emersum“.

De praepositionibus.

Haud raro „inter“ loco „in“ praepositionis cum ablativo coniunctae usurpatum est a Sulpicio Severo. Haec vis praepositionis „inter“, quam Cicero et Caesar omnino aspernati sunt (cfr. Draeger s. h. I. p. 608), saepius apud Sallustium, Livium, Tacitum invenitur; cfr. Sall. Jug. 89, 4 „erat inter ingentes solitudines oppidum magnum“. Liv. 32, 13, 1 „ . . . . angustias, quas inter valle se flumen insinuat“. Tac. ann. 2, 38 „etiam inter angustias fortunae“. Sulpicii Severi haec exstant exempla: D. I. 3, 3 „parvum tugurium inter harenas conspicis“. D. I. 4, 2 „an essent aliqui inter illas solitudines Christiani“. Chr. II. 5, 3 „inter ignes“. M. 5, 4 „ac primum inter Alpes devia secutus“. E. II. 9 „inter flammarum globos“.

„In“ cum accusativo apud Sulpicium Severum ita construitur, ut cum substantivo coniunctum breviter pro enuntiato finali aut consecutivo, quod dicitur, usurpatum sit. Haec structura, apud aureae aetatis scriptores et apud Sallustium satis rara, in Livii et Taciti libris saepe invenitur, raro apud posteriores scriptores. Multa exempla a Sulpicio Severo petita affert Lönnergren l. l. pag. 34 sq., quam ob

rem paucis contentus ero. Chr. I. 18, 8 „coitiones in testimonium falsum aut in quamcunque malitiam esse faciendas". Chr. II. 39, 1 „qui in damnationem Athanasii non subscriberent". D. I. 19, 5 „quasi in testimonium manens." D. III. 10, 5 „quas (sc. virtutes) in exemplum sanctis suis dedit." cfr. Liv. 28, 28, 2 „Regium quondam in praesidium missa legio." Tac. ann. 3, 56 „in falsum aucta".

Ad terram vel urbem, unde quis est, significandam, Livius saepe „a" praepositionem cum ablativo terrae vel urbis adhibet, cum ceteri scriptores Romani adiectiva ab illis substantivis derivata usurpaverint. Hunc usum Livianum Tacitus, quantum video, semel, Sulpicius Severus saepius imitatus est. cfr. II. 39, 4 „Lucifer a Carali" II. 42, 6 „Gregorius ab Alexandria". II. 40, 5 „Osius ab Hispania". II. 38, 3 „a Singiduno Ursatius, Valens a Mursa, ... Acatius a Caesarea, Narcissus a Neronopoli . . . ." cfr. Liv. 1, 50, 3 „Turnus Herdonius ab Oricia". Tacitus ann. 2, 47 „Magnetes a Sipylo".

III.

De enuntiatorum coordinatione.

De particulis copulativis.

Si tria vocabula enumerantur, a scriptoribus Romanis singula membra aut particulis copulativis coniunguntur, aut particulis omissis sine coniunctione enumerantur, atque rarissime tertio tantum particula „et" additur. Hoc si apud Ciceronem et plerosque ceteros scriptores interdum legitur, semper fere tertium membrum maiorem vim habet, quam duo antecedentia (cfr. Draeger, s. h. II. pag. 3 sq.). Ab hoc usu iam Sallustius recedit; late patet hoc genus

dicendi apud Livium et Tacitum, quos Sulpicius Severus secutus est. Chr. II. 51, 4 „Tertullus, Potamius et Johannes.“ II. 48, 1 „Instantius, Salvianus et Priscillianus.“ II. 1, 2 „Annanias, Misaël et Azarias.“ Chr. II. 17, 5 „libidine, avaritia et dominandi cupiditate.“ Sall. Jug. 95, 3 „facundus, callidus et amicitia facilis.“ Liv. 29, 4, 6 „sex milia peditum, octingenti equites et septem elephanti.“ (cfr. Weissenborn ad h. l.) Tac. ann. 2, 81 „hastas, sacra et faces“.

Aureae aetatis scriptores complura membra, si particulas non omittunt, ita copulant, ut eadem particula utantur, neque particulam variant, nisi singula membra vi disparia sunt (cfr. exempla, quae Draeger s. h. II. pag. 61 sq. a Cicerone petita exhibet). Ab hoc usu classicorum scriptorum, qui vocantur, Livius et imprimis Tacitus ita recedunt, ut saepe varient particulas, quamquam causa non cernitur. Huius particularum copulativarum variationis, quae apud ceteros scriptores posteriores, quantum video, rarissime tantum invenitur (cfr. Draeger l. l.), Sulpicius Severus quoque est amantissimus.

Permutantur: „que—et“: Chr. I. 17, 4 „tribunos centurionesque et decuriones praeficiens“. Cfr. I. 21, 5 „tum adversus Madianitas certatum victique et subacti sunt.“ Chr. I. 53, 6 „a rege in amicitiam receptus mensaque et consiliis participatus.“ Sall. Jug. 94, 3 „hostem tormentis sagittariisque et funditoribus eminus terrere“. Tac. hist. 2, 79. „e Germania Britanniaque et Hispaniis.“ Liv. 4, 6, 12 „hanc modestiam aequitatemque et altitudinem animi“.

„que—atque“: Chr. I. 24, 2 „morum disciplinaeque immemor matrimonia ex victis assumere paulatimque externos mores trahere ac mox profano ritu idolis sacrificare occepit“. Chr. I. 53, 4 „urbem murosque ac templum solo stravit“. Chr. II. 38, 2 „omnes fere duarum Panoniarum episcopi multique Orientalium atque tota Asia.“ D. I. 20, 3 „praefecti comitesque ac diversarum iudices potestatum“.

Sall. Jug. 1, 3 „pollens potensque ac clarus“. Liv. 22, 5, 7 „per principes hastatosque ac triarios“.

„et—atque“: Chr. I. 27, 2 „ . . . . dictumque ei est, vino et sicera atque immundis abstineret“. D. I. 16, 2 „cum ergo edentem vis interna torqueret et immensis doloribus vitalia universa quaterentur ac frequens vomitus cruciatibus . . . . dissolveret“. Liv. 6, 22, 5 „additi collegae A. et L. Postumii ac L. Furius“.

„atque—et“: Chr. I. 12, 4 „cum patre atque omni progenie et familia commigrarent“ Chr. I. 3, 2 „qua ille cum uxore ac filiis tribus et totidem nuribus clausus“. Tac. D. 4, 2 „imagines ac tituli et statuae“.

„que—et—atque“: Chr. I. 1, 3 „excidium Hierosolymae vexationesque populi Christiani et mox pacis tempora ac rursum ecclesiarum intestinis periculis turbata omnia“. Liv. 21, 16, 4 „Sardos Corsosque et Histros atque Illyrios“. Tac. ann. 1, 1 „Tiberii Gaiique et Claudii ac Neronis“.

„atque—que—et“: Chr. I. 53, 6 „trigesimum post annum emissus atque a rege in amicitiam receptus mensaque et consiliis participatus“. Tac. ann. 15, 25 „tetrarchis ac regibus praefectisque et procuratoribus“.

De particulis adversativis.

„Sed“ a Sulpicio Severo saepe ita usurpatur, ut adversativa vi omissa per hanc particulam oratio tantum continuetur. Chr. I. 2, 2 „viro Adam mulieri Eva nomen fuit. sed constituti in paradiso . . . . in nostram velut exsules terram eiecti sunt“. Chr. I. 2, 3 „deinde ex his Cain atque Abel nascitur; sed Cain impius fratrem interemit“. Chr. I. 4, 7 „ . . . . quo promptius dispersi sunt, quia alter alterum velut alienigenam facile relinquebat. sed filiis Noe ita divisus orbis fuit . . . .“ (Alia exempla affert Lönnergren l. l. pag. 26.). Haec significatio particulae „sed“ iam apud

Sallustium reperitur cfr. Cat. 25, 1 Postquam scriptor in iis, quae antecedunt, commemoravit, etiam mulieres coniurationis Catilinariae participes fuisse, scribere pergit: „Sed in his erat Scribonia, quae multa saepe virilis audaciae facinora commiserat“. Liv. 9, 2, 6 „duae ad Luceriam ferebant viae, altera praeter oram superi maris, altera per furculas Caudinas brevior; sed ita natus locus est“.

De particulis conclusivis.

De particulis conclusivis cum dicimus commemoranda imprimis est positio vocis „igitur“. Aureae aetatis scriptores plerumque secundo loco hanc particulam ponunt, saepe tertio vel quarto loco; sed raro primum locum obtinet „igitur“. (Exempla Ciceroniana vocis „igitur“ initio sententiae positae collegit Boetticher in lexico Taciteo pag. 237.). Ab hoc classicorum scriptorum usu primus recessit Sallustius et semper fere primo loco particulam „igitur“ posuit (cfr. Laws l. l. pag. 13), quem usum Sallustianum Livius et Tacitus imitati sunt item atque Sulpicius Severus, cuius libri praebent haec exempla:

Chr. I. 2, 5. 3, 3. 4, 2. 8, 3. 10, 1. 10, 6. 11, 6. 12, 2 et 6. 13, 1. 15, 3. 20, 2. 21, 4. 22, 3. 23, 2 et 7. 24, 3. 25, 1. 26, 5. 28, 1. 30, 1 et 4. 32, 4. 33, 5 et 6. 34, 5 et 7. 35, 1. 36, 2. 40, 2. 43, 2. 44, 6. 47, 1 et 3. 48, 5. 52, 3. 53, 3. Chr. II. 1, 4 et 8. 3, 1 et 8. 4, 3. 5, 2. 6, 4. 7, 1 et 2. 8, 2 et 4 et 7. 9, 2. 12, 5 et 7. 13, 6 et 7. 15, 1 et 10. 21, 5. 24, 3. 26, 1 et 6. 29, 2. 30, 1 et 4. 34, 2. 35, 4. 37, 5. 39, 1 et 6. 41, 1 et 6. 45, 1. 47, 1 et 6. 49, 3 et 6. M. 1, 7. 2, 1. 6, 1. D. I. 8, 1. D. II. 3, 9. 5, 8. (Secundo loco positum est: Chr. I. 12, 3. 25, 8. M. 13, 6. E. III. 6. D. I. 13, 4. 15, 3. D. II. 1,1. 1, 9. 7, 5). Etiam alii posterioris aetatis scriptores „igitur“ particulam interdum initio enuntiati ponunt, sed omnes in hoc usu longe superantur a Sallustio, Livio, Tacito, Sulpicio Severo.

IV.

De enuntiatorum subordinatione.

De enuntiatis substantivis.

Infinitivum contra dicendi morem Sulpicius Severus Sallustium, Livium, Tacitum, secutus cum his verbis iungit:

„abnuere“: Chr. I. 33, 2 „parere imperio abnuens“. D. III. 17, 5 „non abnuet praesulem nostrum cum suo Felice componere“. Liv. 37, 48, 4 „ob hoc Aetolos . . . . abnuisse imperata facere“. Tac. ann. 4, 56 „et quia Lepidus ipse deligere per modestiam abnuebat“.

„eniti“: M. 8, 3 „enisus adsurgere“. Sall. Jug. 14, 1, „uti eniterer domi militiaeque quam maxume usui esse populo Romano“. Livius et Tacitus „adniti“ et „conniti“ cum infinitivo cunstruunt.

„differre“: D. I. 18, 4 „nec distulit parere praecepto“. D. II. 1, 4 „cum ei archidiaconus dare tunicam distulisset“. Liv. 42, 2, 2 „nec ultra ad arma ire dilaturum“.

„ardere“: M. 25, 1 „ardebat animus vitam illius scribere“. Sall. Jug. 39, 5 „quamquam persequi Ingurtham et mederi fraternae invidiae animo ardebat“.

Tacitum secutus cum accusativo cum infinitivo coniungit Sulpicius Severus: „orare“. D. II. 1, 1 „orans sibi vestimentum dari“. Tac. ann. 11, 10 „quis permitti Meherdaten patrium ad fastigium orabant.“

In oratione obliqua, quae dicitur, in enuntiatis secundariis in universum coniunctivus ponitur, atque indicativus vitatur, nisi enuntiatum secundarium ex mente ipsius scriptoris additum est. Ab hoc vulgari dicendi genere primus Sallustius saepius recessit (cfr. Badstübner l. l. pag. 39 sq.), post Sallustium Livius et Tacitus multis locis (cfr. Kühnast l. l. pag. 235 et Draeger Tacitus pag.

63). Permulta inveniuntur exempla apud Sulpicium Severum. Chr. II. 36, 5 „iubet ex toto orbe . . . . . . episcopos congregari atque omne iudicium, quo Athanasius damnatus fuerat, retractari“. M. 4, 4 „tum vero tyrannus . . . . infremuit dicens, eum metu pugnae, quae postero die erat futura, detractare militiam“. Chr. I. 1, 4 „ceterum illud non pigebit fateri, me, sicubi ratio exegit, ad distinguenda tempora . . . . usum esse historicis mundalibus atque ex his, quae ad supplementum cognitionis deerant, usurpasse“. D. III. 10, 2 „negat per totum diem sibi ullam cessisse capturam, sed neque alios piscatores, qui vendere solebant, quicquam agere quivisse“. M. 21, 4 „ . . . . indicat fratribus causam mortis et vulneris: iunctis scilicet bubus dum dissolutis artius lora constringit . . . bovem sibi adegisse“ et alia exempla, quae Lönnergren pag. 69. enumerat. cfr. Sall. Cat. 14, 7 „scio fuisse nonnullos, qui ita existumarent, iuventutem, quae domum Catilinae frequentabat, parum honeste pudicitiam habuisse“. Tac. ann. 1, 39 „venisse patrum iussu, qui inrita facerent, quae per seditionem expresserant“. Liv. 3, 2, 3 „legatos nuntiare iussit, Q. Fabium consulem dicere, se . . . . ab Roma Aequis bellum adferre eadem dextera, quam pacatam illis antea dederat“.

Sulpicius Severus Sallustium, Livium, Tacitum secutus particula omissa cum solo coniunctivo coniungit haec verba:

„obtestari“: Chr. I. 12, 6 „filium obtestatur, corpus sepulchro redderet“. Sall. Cat. 33, 5 „te atque senatum obtestamur, consulatis miseris civibus.“

„hortari“: Chr. II. 4, 5 „at ille verbis Dei universos hortari, in solo patrio manerent“. Chr. II. 21, 6 „tum Judas . . . . suos adhortus, forti animo descenderent in proelium“. Sall. Jug. 56, 2 „oppidanos hortatur, moenia defendant“. Liv. 6, 15, 10 „sed quid ego vos, de vestro impendatis, hortor?“ Tac. ann. 1, 35 „feriret hortabantur.“

„legatos mittere“: Chr. I. 26, 5 „missis . . . . legatis, finibus suis contentus bello abstineret“. Sall. Jug. 97, 2 „ad Bocchum nuntios mittit, quam primum in Numidiam copias adduceret“.

De enuntiatis temporalibus.

„Postquam“ cum plusquamperfecto apud classicos scriptores, qui vocantur, raro legitur. (Apud Caesarem uno tantum loco inveniri Draeger s. h. II. pag. 589 commemorat). Sed saepe a Sallustio, saepissime a Livio et Tacito cum plusquamperfecto construitur „postquam“, rarissime a posterioribus scriptoribus. Sulpicius Severus multa exhibet exempla: Chr. I. 9, 4 „clam profectus est vigesimo post fere anno, quam advenerant“. Chr. II. 10, 4 „in proelio cecidit, secundo anno postquam Tarquinius Superbus Romae regnare coeperat“. Chr. II. 10, 2 „id templum consummatum sexto post anno quam Darius regnare coeperat“. Chr. II. 19, 6 „is post quinquennium quam regnare coeperat . . . . depopulatus est“. Chr. II. 10, 3 „post XX fere annos quam templum fuerat consummatum“. Chr. II. 17, 2 „septimo (sc. anno) posteaquam Darium devixerat, apud Babyloniam defunctus est“. Chr. II. 28, 4 „posteaquam ab iniusto praesidis iudicio Caesarem appellaverat“. Chr. II. 45, 9 „Hilarius sexto anno, postquam redierat, in patria obiit“.

„Ubi“ particulam Sulpicius Severus uno loco Sallustium secutus cum praesenti historico, quod dicitur, coniungit: Chr. II. 25, 2 „Tryphon, ubi se imparem cernit, pacem simulat“. cfr. Sall. Jug. 51, 3 „ubi videt Numidas minus instare, paulatim conducit . . . .“ Hanc structuram Plauto, Terentio, Vergilio usitatam prosae orationis scriptores praeter Sallustium aspernati sunt (cfr. Draeger, s. h. II. pag. 59, 3).

„Ubi“ saepius a Sallustio, Livio, Tacito cum imperfecto construitur, quod Sulpicius Severus imitatus est. Chr. II. 44, 3 „ubi parum ad pacem proficiebant“. cfr. Sall. Jug. 35, 5 „ubi res postulabat“. Liv. 1, 58, 4 „ubi videbat“. Tac. ann. 6, 42 „sed ubi diem ex die prolatabant“. A Ciceronis genere dicendi hic usus omnino alienus videtur esse (cfr. Draeger, s. h. II. pag. 594), rarissime apud posteriores scriptores invenitur.

Plusquamperfectum Sulpicius Severus adiungit particulae „ubi“: Chr. II. 38, 1 „tum vero Arriani, ubi doli parum processerant, vi agere decernunt“. cfr. Sall. Cat. 9, 3 „ubi pax evenerat“. Liv. 2, 27, 2 „quod ubi ... inciderat“. Tac. ann. 13, 40 „ubi .... firmaverat“. Ab omnibus fere posterioribus scriptoribus haec constructio aliena est.

De enuntiatis comparativis.

Sulpicius Severus duobus locis „potius“ vel „magis“ omisit ante „quam“. D. I. 27, 8 „nec vero audita ab aliis quam quae vidi ipse dicturus sum“. E. III. 2 „.... seque adhuc tuos quam meos esse meminerunt“. Sallustii quae afferuntur exempla pleraque incerta sunt, cum alii codices omittant „magis“ vel „potius“, alii addant. Saepius Livius et Tacitus ita locuti sunt. cfr. Liv. 23, 43, 13 „ipsorum quam Hannibalis interesse, capta an tradita Nola potiretur“. Tac. ann. 1, 58 „pacem quam bellum probabam“.

V.

De gerundio et participio.

Ablativus gerundii cum accusativo obiecti coniunctus rarissime apud aureae aetatis scriptores invenitur. Sed Sallustio iam magis placet (cfr. Draeger, s. h. II. pag. 848) et saepe legitur apud Livium et Tacitum, raro apud posteriores scriptores. A Sulpicio Severo quater haec constructio usurpata est: Chr. II. 2, 1 „enuntiando somnium". M. 1, 3 „legendo Hectorem pugnantem aut Socratem philosophantem". M. 25, 5 „vendendo omnia et dando pauperibus". D. III. 2, 5 „et ostendendo humilitatem nec differendo pietatem". cfr. Sall. Jug. 85, 21 „fortia facta memorando". Liv. 1, 38, 4 „circumferendo arma". Tac. Agr. 21 „laudando promptos et castigando segnes".

Saepe Sulpicius Severus participia praesentis usurpavit, quorum loco, si consecutionem temporum respicimus, participia perfecti exspectamus. Huius usus exempla apud meliores scriptores rarissime inveniuntur; Sallustii quoque haud ita multa exstant, complura Livii, plurima Taciti. Ea, quae in libris Sulpicii Severi leguntur, diligenter collegit Lönnergren l. l. pag. 84, quam ob rem pauca afferre satishabeo. M. 6, 4 „Italiam repetens Mediolani monasterium statuit". M. 18, 4 „postero die ad ecclesiam veniens nitenti cute gratias pro sanitate, quam receperat, agebat". cfr. Sall. Jug. 113, 1 „haec Maurus secum ipse diu volvens tandem promisit". Liv. 27, 43, 3 „cum primo incertis implicantes responsis, ut metus tormentorum admotus fateri vera coegit, edocuerunt". Tac. ann. 12, 48 „at Quadratus cognoscens proditum Mithridatem et regnum ab interfectoribus obtineri, vocat consilium". Posterioris aetatis scriptores raro ita locuti sunt.

A scriptoribus Romanis participia perfecti passivi cum substantivis ita coniungi, ut substantivorum abstractorum vice fungantur, inter omnes constat. Qui usus cum apud Ciceronem, Sallustium, Livium, Tacitum, alios aeque fere frequens sit, non est, cur omnia, quae apud Sulpicium Severum leguntur, in medium proferam. Eo cum Sallustio et Livio a ceterorum scriptorum usu Sulpicius Severus recedit, quod participium et substantivum coniungit cum praepositione „ob" (cfr. Draeger, s. h. II. pag. 780). Chr. I. 15, 3 „sed cum ob interiectum sinum rubri maris .... via duceret". Sall. Jug. 79, 7 „ob rem corruptam". Liv. 2, 19, 10 „ob erepta bona patriamque ademptam".

Coniunctiones cum participiis coniunctas praeter usitatas „quasi" et „tamquam" Sulpicius Severus communes habet cum Sallustio, Livio, Tacito:

„quippe": Chr. II. 15, 4 „neque .... adquiescentibus animis, expertis quippe". Sall. hist. I. 48, 5 „quippe metu pacem repetentes". Liv. 3, 63, 2 „quippe fuso suae partis validiore cornu". Tac. hist. 1, 72 „quippe tot interfectis".

„quamvis": D. III. 15, 5 „quamvis sancto illius sanguine consecrata". Tac. ann. 1, 6 „quamvis firmatus animo centurio".

„utpote": Chr. I. 52, 3 „utpote obligatus divinis beneficiis". Liv. 2, 33, 8 „utpote capta urbe".

„velut": D. I. 18, 5 „velut frigido rore perfusus". Sall. Jug. 38, 2 „veluti cedentem". Liv. 1, 14, 8 „velut trepidante equitatu". Tac. hist. 4, 71 „velut confecto bello".

Pars altera: De stilo.

I.

De orationis variatione.

Quoniam hactenus vidimus, Sulpicium Severum in rebus grammaticis multa ex Sallustio, Livio, Tacito mutuatum esse, sequitur, ut nunc tractemus totum genus dicendi Sulpicii Severi atque comparemus cum stilo trium illorum rerum scriptorum. Ac primum quidem dicamus de Sulpicii Severi studio orationis variandae. Cum classici scriptores, qui vocantur, summo amore id studerent, ut omnes partes orationis inter se cum concinnitate quadam consentirent, iam a Sallustio[1]) haec concinnitas saepe violata est; Livius[2]) et imprimis Tacitus[3]) in hoc studio orationis variandae eo progrediuntur, ut stili utriusque sit proprietas, quam Sulpicius Severus imitatus est.

Ita permutantur inter se:

1) „tempora“: Saepe in eadem enuntiatione perfectum a praesenti historico excipitur vel hoc ab illo. Chr. I. 4, 1 „mox a Deo cum filio benedicitur praeceptumque accepit“.

---

1) Laureck: „De Sallustii ingenio, arte rationeque dicendi“ pag. 24.

2) Kühnast l. l. pag. 324.

3) Draeger, Tacitus pag. 99 sqq.

Chr. I. 11, 17 „ita Joseph solvitur interpretatusque est regi somnium“. Chr. I. 28, 7 „nam neque finem eius imperii repperi et fuisse populum sine duce invenio“. Chr. I. 30, 6 „victi Hebraei, arca capitur, filii sacerdotis cadunt“. Chr. I. 36, 1 „Saul Allophylis bellum inferentibus Deum consulit, nullumque ei responsum redditum“. Chr. I. 36, 2 „sed conserto proelio Hebraei fusi, filii regis cadunt“. Chr. I. 54, 3 „tum vero Sedechias ... trudi prophetam in carcerem iubet: moxque eum crudelis facti piguit“. Chr. II. 5, 2 „igitur res ex edicto regis constituuntur, propositaque eis condicio poenarum“. Chr. II. 13, 4 „ita Aman eaedem cruci affigitur, omniaque bona eius Mardochaeo data Judaeique sunt absoluti“. Chr. II. 26, 6 „igitur Hyrcanum libens excepit ductuque eius Judaeos aggreditur“. Chr. II. 30, 2 „sumit imperium et, ut mos est, diademate capiti imposito ab exercitu consalutatus“. M. 17, 5 „Martinus furenti se obiecit, ac primum stare ei imperat“. D. I. 19, 5 „quantum oboedientia meruerit et quantum fides possit“. D. II. 1, 5 „.... sibi tunicam latenter eduxit pauperemque contectum discedere iubet“. D. II. 9, 4 „ante pedes sancti recepta quiete prosternitur, dein ... petiit, seque ... immiscuit“. Chr. I. 5, 4 „sed adversum hos .... reges ... in proelium erumpunt primoque impetu fusi victoriam concessere“. cfr. Sall. Cat. 20, 1 „in abditam partem aedium recedit atque ibi ... orationem ... habuit“. Liv. 3, 46, 9 „Appius .... domum se recepit collegisque in castra scribit“. Tac. ann. 2, 7 „Sed Caesar ... Silium legatum .... irruptionem facere iubet; ipse ... sex legiones eo duxit“.

Imperfectum et plusquamperfectum in eodem enuntiato coniunguntur: Chr. I. 49, 4 „sed cum ... pararet regemque .... in auxilium arcesseret idque Salmanassar comperisset“. Chr. II. 9, 5 „hic cum Aegyptum atque Aethiopiam bello premeret et subegisset victorque in Persas reverteretur“. M. 10, 4 „ex uno enim latere praecisa montis excelsi rupe ambiebatur, reliquam planitiem Liger fluvius ...

clauserat". cfr. Liv. 7, 2, 11 „postquam ... res avocabatur et ludus in artem paulatim verterat".

Ad plusquamperfectum a perfecto transit oratio: Chr. I. 10, 5 „filii eius aliquando ab eo .... secesserunt, Joseph tamen et Beniamin parvus domi resederant". Chr. II. 35, 1 „namque tum haeresis Arriana prorupit totumque orbem iniecto errore turbaverat". cfr. Liv. 10, 44, 4 „Nautium propter expeditionem, qua ... terruerat hostes, Juvenem Papirium propter navatam operam, quia ... fecit".

Imperfectum et praesens historicum permutantur: Chr. II. 6, 3 „subito rex in pariete conspicatur digitos scribentes cernebanturque in versum ductae litterae". M. 23, 10 „tum vero reniti ac reclamare miser coepit interdictumque sibi esse dicebat". D. I. 22, 4 „impletur a daemone cruentasque spumas ore provolvens suis dentibus se ipse lacerabat". D. II. 1, 7 „veste nudum interius non videbat, postremo pauperem non comparere causatur". Chr. II. 34, 4 „quasi Dei nutu funus ... deferebatur concursuque omnium feretro corpus eripitur". cfr. Liv. 45, 40, 2 „alterum tantum aut ... absumptum aut in fuga .... dissipatum tradunt; eoque id mirabilius erat".

2) „casus." Chr. I. 33, 1 „modestus animi, forma excellenti". Chr. II. 16, 8 „post eum Arses, filius eius triennio imperium tenuit, Darius annos quattuor". Chr. II. 46, 5 „multos nobilium pluresque populares". Sall. Jug. 7, 4 „ut nostris vehementer carus, Numantinis maximo terrori esset". Liv. 32, 21, 22 „nostrorum ipsi vulnerum, si vultis, obliviscamur, caedes direptionesque factas". Tac. ann. 14, 19 „ut par ingenio ita morum diversus".

3) „numerus." Chr. I. 23, 1 „ut ligna et aquam conveherent". E. I. 6 „in profundo an supra maris profunda". Chr. II. 37, 5 „igitur Arriani astuto consilio miscent innoxium criminosis". Liv. 27, 2, 6 „Hispani milites et funditor Baliaris". Tac. hist. 3, 29 „septimani ... tertianus".

4) „praepositiones.“ Chr. II. 42, 5 „intra conscientiam communionis nec non etiam in societatem receptus“. Chr. I. 41, 6 „vaccam auream in Bethel, alteram apud Dan constituit“. M. 6, 4 „cum haeresis Arriana per totum orbem et maxime intra Illyricum pullulasset“. D. I. 24, 3 „iste in medio coetu et conversatione populorum, inter clericos dissidentes“. D. I. 24, 4 „.... sed qui ex aequo loco aut etiam de superiore certaverint“. Liv. 4, 56, 4 „... in spem seu ... ad iram cum impulisset“. Tac. ann. 4, 55 „... illis per Asiam, his in Italia“.

5) „praepositiones et casus.“ Chr. II. 44, 2 „enimvero Foegadius paratum se exsilio atque ad omne supplicium ... profiteri“. Chr. II. 46, 7 „non solum consensione, sed sub quadam etiam coniuratione susceperant“. Chr. II. 47, 6 „.... quo universi haeretici excedere non ecclesiis tantum aut urbibus, sed extra omnes terras propelli iubebantur“. M. 4, 4 „eum metu pugnae, quae postero die erat futura, non religionis gratia detractare militiam“. Chr. I. 4, 7 „sed filiis Noe ita divisus orbis fuit, ut Sem intra Orientem, Japhet Occidentem, Cham mediis contineretur“. D. II. 1, 3 „sublimi solio ... in sellula“. Sall. Jug. 7, 1 „neque per vim, neque insidiis“. Liv. 2, 42, 10 „nunc extis, nunc per aves consulti“. Tac. ann. 4, 46 „promptum libertati aut ad mortem animum“.

6) „activum et passivum.“ Chr. I. 5, 6 „tum a Melchisedech sacerdote benedictus est eidemque praedae decimas dedit“. Chr. I. 22, 3 „igitur arcam proferri a sacerdotibus eosdemque adverso flumine consistere iubet“. Chr. I. 39, 4 „cumque ... alia vero cedere potius puero quam discerpi eum mallet“. Chr. I. 22, 5 „ita hi ... vacuam urbem cepere caesique omnes absque ullius effugio“. Chr. I. 17, 2 „sed ubi Raphidin ventum, Amalecitae populum incursionibus vastabant“. M. 12, 3 „imperat turbae, non moveri loco onusque deponere“. M. 10, 4 „ex uno enim latere praecisa montis excelsi rupe ambiebatur, reliquam planitiem

Liger clauserat". Chr. II. 6, 3 „subito rex in pariete conspicatur digitos scribentes cernebanturque in versum ductae litterae". Chr. I. 36, 1 „Deum consulit nullumque ei responsum datum". Liv. 5, 39, 11 „placuit ... flaminem ... sacra publica a caede ... auferre nec ante deseri cultum deorum ...." Tac. ann. 3, 12 „nam quo pertinuit nudare corpus et contrectandum vulgi occulis permittere, differrique etiam ...."

7) „adiectivum et genetivus." Chr. II. 34, 2 „admota militari manu atque omnium provincialium multitudine". Liv. 23, 34, 7 „inter regem Macedonum Poenumque ducem". Tac. ann. 2, 3 „Parthorum et Romanas opes".

8) „adverbium et nomen adiectivum." D. III. 1, 5 „tam subito et insperati". D. III. 17, 3 „quod vel hesterno confecimus vel hodie diximus". Liv. 23, 34, 3 „dictator de se pauca et modice locutus". Tac. ann. 16, 5 „multis palam et pluribus occultis".

9) „infinitivus praesentis passivi et infinitivus gerundivi." M. 22, 4 „.... antiqua delicta melioris vitae conversatione purgari et per misericordiam Domini absolvendos esse peccatis". Tac. hist. 2, 10 „dari tempus, edi crimina, quamvis invisum .... tamen audiendum censebant".

10) Semel Sulpicius Severus „modos" variat. D. III. 8, 3 „seu quod intellexerit, seu quod ... privatus est". Liv. 30, 44, 10 „itaque cum spolia ... detrahebantur, cum inermem ... cerneretis".

11) „infinitivus historicus et verbum finitum." cfr. pag. 13.

12) „particulae copulativae." cfr. pag. 25 sq.

II.

De orationis brevitate.

Sulpicius Severus in rebus enarrandis id summo studio spectat, ut brevitatem quandam assequatur. Huius orationis brevitati iam Sallustius diligentissime studebat:[1]) in enumerandis vocabulis saepe coniunctiones omittit, ut asyndeton existat; saepe desunt verba, quae ex iis, quae antecedunt, addenda sunt; zeugma, quod dicitur, summa audacia adhibetur. Tacitus Sallustium secutus est in hac brevitate, cuius „proprietatem maxime cerni in orationis concisa brevitate" Boetticher in lex. Tac. suo iure dicit; neque a Livii elocutione hoc brevitatis studium prorsus alienum est.

De frequenti ellipsi verbi substantivi iam locutus sum pag. 15 sqq.

Ad brevitatem spectat asyndeton a Sulpicio Severo saepissime usurpatum; sed non est, cur pluribus verbis disseram de hac re, quod Sallustius, Livius, Tacitus, Sulpicius Severus in universum a ceterorum scriptorum consuetudine non recedunt. Unum commemorandum est, Sulpicium Severum semel asyndeton summativum, quod dicitur, ita usurpare, ut vox „omnes" in extremo enuntiato posita sit, qui usus a Ciceronis et Caesaris genere dicendi alienus a Sallustio, Livio, Tacito saepius usurpatus est (cfr. Draeger, s. h. II. pag. 206). Chr. I. 23, 5 „inhiant possessionibus, praedia excolunt, auro incubant, emunt venduntque: quaestui per omnia student". Sall. Jug. 85, 4 „vetus nobilitas, maiorum fortia facta, cognatorum et affinium opes, multae clientelae, omnia haec praesidio adsunt". Liv. 9, 3, 3 „armati inermes, fortes ignavi, pariter omnes capti

---

1) Laureck l. l. pag. 24.

atque victi sumus". Tac. ann. 1, 9 „legiones provincias classes, cuncta".

Saepe apud Sulpicium Severum verbum „agere" omisso obiecto „vitam" eadem vi fungitur qua vivere. Haec omissio vocis „vitam" inter prosae orationis scriptores primum apud Sallustium invenitur, quem secuti sunt Livius et Tacitus et Sulpicius Severus Chr. I. 24, 1 „Jesu mortuo populus sine duce agebat". Chr. I. 30, 1 „Hebraei sine iudice ... agebant". Chr. I. 34, 2 „parvum puerum sub patre agentem". D. I. 17, 6 „in isdem viculis agere". Chr. II. 10, 4 „purgatus populus veteris legis ritu agebat". cfr. Liv. 9, 20, 10 „qui se sine legibus certis, sine magistratibus agere querebantur". Tac. ann. 15, 74 „nam deum honor principi non ante habetur, quam agere inter homines desierit". Sall. Jug. 55, 2 „civitas trepida antea et sollicita de belli eventu laeta agere".

Ad brevitatem zeugma quoque, quod dicitur, pertinet a Sallustio, Livio, Tacito haud raro usurpatum, qua figura Sulpicius Severus usus est his locis: Chr. II. 12, 4 „uxorem matrimonio ac regia depellit". Chr. II. 18, 4 „is foede admodum cives patriamque laceravit". M. 20, 2 „qui imperatores unum regno alterum vita expulisset". D. I. 21, 3 „pedibus aut asello ire". D. I. 22, 3 „cellulam suam atque propositum eremita deseruit". D. I. 25, 1 „rabiem bestiarum et serpentium venena compescuit". D. II. 13, 7 „nam nisi inaestimabilem vitam atque virtutem Martinus egisset".

Restat, ut dicam de frequenti usu participiorum et ablativorum absolutorum, quibus Sulpicius Severus usus est brevitatis studio commotus. Sallustius primus participiorum copia ceteris scriptoribus praestat, Sallustius ipse a Livio superatur, sed utrumque longe praecedit Tacitus. Sulpicium Severum frequentia participiorum tres illos rerum scriptores imitatum esse invenies, quocunque loco libros eius evolveris. Ex multis, quae collegi, exemplis haec in medium proferam: Chr. I. 5, 2 „qua tempestate admo-

nitus a Deo, domum, patriam ac patrem relinquens, assumpto Loth fratris filio in terram Chananaeorum profectus in loco, cui Sychem nomen est, consedit". Chr. I. 9, 4 „qua iniuria Laban generum persecutus, non repertis idolis, pace facta regressus est, multum obtestatus generum ...." Chr. I. 12, 5 „ita Jacob in Aegyptum descendit, Aegyptiis admodum laetantibus, gaudente rege, benigne a filio susceptus". Chr. I. 13, 4 „quo permotus dolore, fratrem ab iniuria vindicans, Aegyptium calce perculsum interemit". Chr. I. 14, 1 „at Hebraei multiplicato servitutis malo pressi, querelis in coelum conversis, spem auxilii a Deo spectabant". Chr. I. 14, 3 „ita Moyses in Aegyptum profectus, signis prius apud suos editis, assumpto fratre regem adiit". Chr. I. 17, 2 „Moyses suis in proelium eductis, cum Jesum bellantibus praefecisset, assumpto Aaron et Ur spectator pugnae futurus". Chr. I. 26, 1 et 2 „sed defuncto Gedeon filius eius Abimelech, ex concubina ortus, fratribus interemptis, pessimis quibusque consentientibus et maxime Sicimorum principibus operam navantibus, regnum occupavit". Chr. I. 27, 1 „rursum Israelitae ad idola conversi, divino destituti praesidio, subiecti Allophylis ...." Chr. I. 27, 5 „tum compulsi Judaei vinctum eum Allophylis tradiderunt: sed traditus ruptis vinculis arrepto osse asini ..." Chr. I. 43, 8 „at ille caesum vitulum imposuit, cum prius sacrarium aqua opplesset invocatoque Domino spectantibus cunctis ignis coelo delapsus aquam cum hostia absumpsit. tum vero populus solo stratus Deum fateri, idola exsecrari: postremo Eliae iussu profani sacerdotes comprehensi deductique ad torrentem necati sunt". Chr. II. 5, 5 „nec multo post obiecto sibi somnio, mox voce etiam caelo emissa admonitus potestate regia abiecta atque ab omni conversatione humana remotus, herbis tantum vitam sustinens, egisse poenitentiam traditur". Chr. II. 16, 6 „Judaei fugientes persecuti caesisque multis milibus ...." Chr. II. 47, 7 „quo comperto Gnostici diffisi rebus suis, non ausi

iudicio certare, sponte cessere". M. 8, 3 „mox vivescente vultu, marcescentibus oculis in ora illius defunctus erigitur: lentoque conamine enisus adsurgere, adprehensa beati viri dextera in pedes constitit atque ita cum eo usque ad vestibulum domus, turba omni inspectante, processit". M. 16, 4 „ibi inspectante populo multisque aliis praesentibus episcopis; eiulans senex genua eius amplectitur dicens ...." D. I. 3, 2 „quinto decimo die ad portum regressi provectique in altum, Alexandriam petentes, reluctante austro paene in Syrtem inlati sumus". D. II. 1, 8 „tum demum clericus necessitate compulsus, iam felle commoto, e proximis tabernis bigerricam vestem quinque comparatam argenteis rapit atque ante Martini pedes iratus exponit". D. III. 6, 3 „.... sed admotis energumenis ceteros iubebat abscedere, ac foribus obseratis in medio ecclesiae cilicio circumtectus, cinere respersus, solo stratus orabat". cfr. Chr. I. 10, 7. I. 14, 5. I. 21, 4. 22, 5. 26, 6. 28, 6. 29, 2 et 3. 30, 6. 41, 3. 48, 1. 50, 4. 51, 4. Chr. II. 1, 5. 6, 2. 11, 2. M. 4, 1. 7, 1. 13, 9. D. I. 15, 6. II. 3, 6. 11, 4. D. III. 4, 2 et multa alia.

Haec habui de Sulpicio Severo Sallustianae, Livianae, Taciteae elocutionis imitatore, quae dicerem. Etiamsi non nulla eorum, quae attuli, exemplorum utrum ex ipsorum scriptorum Sallustii, Livii, Taciti imitatione a Sulpicio Severo expressa sint an potius referenda ad communem posterioris aetatis usum, non satis liquet, tamen ex multitudine locorum allatorum id satis apparere puto, Sulpicium Severum Sallustii, Livii, Taciti elocutionem imitatum esse neque dubium haberi posse, quin Sulpicius Severus in toto genere dicendi pendeat a Sallustio, Livio, Tacito.

Sed priusquam finem faciam huius commentationis, restat, ut pauca dicam de septem epistolis, quae in editione Halmiana in appendice positae sunt. Primus Sulpicii Severi libris has epistolas addidit Jo. Clericus in editione,

quam curavit anno 1709 (Lipsiae). Secundam, quae Hieronymi epistolis addi solebat, Lucas Holsteinius in editione Romana (anno 1661 curata) Athanasio tribuit. Primam et secundam epistolam Stephanus Baluzius edidit anno 1678. Migne tres priores a Sulpicio Severo scriptas esse putat (cfr. Patrologiae tom. XX. pag. 82). Halm omnes recepit quidem, sed ad Sulpicium Severum eas referri non posse dicit „quippe quarum sermo a stilo genuinorum Sulpicii librorum prorsus abhorreat", atque eam ob solam causam recipiendas eas esse existimavit, „ne quid quod in superiore editione exstaret, in nova desideraretur". (cfr. praef. ed. Halm. pag. XII sq.) Ceteri viri docti, quantum video,[1]) qui post Halmium in Sulpicii Severi libris tractandis versati sunt, ei assentiuntur praeter Pauckerum (De latinitate Sulpicii Severi pag. 2 sq.). Etiam Paucker facere non potest, quin dicat, „stili quandam deprehendi differentiam", at tamen illas epistolas a Sulpicio Severo scriptas esse putat, nisus nonnullis locis, quos affert ex Gennadii catalogo virorum illustrium. Gennadius enim de Sulpicio Severo dicit: „epistolas ad amorem Dei et contemptum mundi hortatorias scripsit sorori suae multas". Propter hunc locum Paucker Sulpicio Severo attribuendas esse putat primam et secundam appendicis epistolam, quarum prior est de ultimo iudicio, altera de virginitate. Etiamsi negari non potest, Gennadii verba ad duas priores appendicis epistolas referri posse, tamen hac re, nisi aliud argumentum addi potest, nihil lucramur. Nam Gennadii verba nihil aliud comprobant, nisi Sulpicium Severum eiusmodi epistolas scripsisse, sed ne minimam quidem praebent ansam, qua nisi illas duas epistolas ei adiudicare possimus.

---

1) Novissimo tempore Sulpicium Severum praeter Chronicorum libros edidit Fr. Dübner (Sulpicii Severi liber de vita sancti Martini, cum epistolis et dialogis. Edition classique, avec des notes par Fr. Dübner, revue d'après l'édition Halm de 1866. Paris 1890). Sed hanc editionem, quamvis operam darem, inspicere mihi non licuit.

Ut comprobet, reliquas appendicis epistolas ad Sulpicium Severum referendas esse, Paucker ex Gennadii catalogo affert hunc locum: „scripsit et ad Paulinum duas et ad alios alias, sed quia in aliquibus etiam familiaris necessitas inserta est, non digeruntur". Verba „scripsit ... duas" Paucker ad tertiam appendicis epistolam spectare putat, verba „et ad alios alias .... digeruntur" ad reliquas epistolas. Quod quo iure a Pauckero dictum sit, apparebit, si locuti erimus de voce „digeruntur". Non significat „dispersas (sc. epistolas) in unum corpus coniungere", quam notionem ei inesse Migne vult (l. l. pag. 82); nam vox „digerendi" ipsa id non valet, quam ob rem Gennadius, hoc si dicere voluisset, aliquid addere debuisset, velut „in librum", ut cum hoc substantivo coniunctum ipso additamento „digerere" id significaret, quod Migne ex sola voce „digerendi" interpretando elicuit. „Digerere" valet, ut nostra lingua utar: „auseinanderführen, nach den theilen ordnen, der reihe nach i. e. einzeln aufzählen". Idem igitur significat „digeruntur" atque „ordine enumerantur", et subaudiendum est „hoc loco" sive „a me". Addidit Gennadius verba „sed quia .... digeruntur" ob eam solam causam, quod omnia, quae scripsit Sulpicius Severus, enumeraturus est (cfr. Sulpicii Severi vitam a Gennadio conscriptam in ed. Halm. praef. pag. XIII). Gennadius igitur alias epistolas non digeri sive enumerari a se dicit, „quia in aliquibus etiam familiaris necessitas inserta sit". Opponuntur epistolae, in quibus familiaris necessitas inserta est iis, in quibus non est inserta sive quae enumerantur i. e. duabus epistolis ad Paulinum scriptis, quarum alteram traditam esse Paucker putat. Sed effugit hunc virum doctum, etiam in epistola ad Paulinum scripta insertam esse familiarem necessitatem, unde efficitur, tertiam epistolam, quamquam ad Paulinum scripta est, a Sulpicio Severo alienam esse.

Ex iis, quae dixi, satis intellegi posse mihi videtur, locis a Pauckero ex Gennadii catalogo laudatis non com-

probari, appendicis epistolas Sulpicio Severo adscribendas esse[1]) atque Halmium suo iure eas a Sulpicio Severo abiudicare, cum re vera color sermonis a ceterorum librorum genere dicendi abhorreat.[2])

Sulpicius Severus ad temporis momentum significandum saepe utitur voce „tempestas" (cfr. pag. 6), quae in appendice uno tantum loco invenitur pag. 255, 15. (Ne quis putet, occasionem non fuisse ad hoc vocabulum saepius usurpandum, affero pag. 234, 11. 236, 2. 252, 20, quibus locis „tempus" legitur.

Discrepantia eo quoque intercedit, quod Sulpicius Severus saepe usus est adverbiis in „im" exeuntibus, appendicis epistolarum scriptor rarissime. Apud Sulpicium Severum leguntur: carptim Chr. I. 1, 1. catervatim Chr. I. 21, 2. II. 43, 4. 46, 6. D. II. 4, 8. certatim Chr. II. 5, 2. 18, 6. 32, 4. 11, 4. D. I. 11, 7. 23, 4. Chr. I. 31, 5. II. 33, 8. affatim Chr. II. 39, 9. interim Chr. II. 23, 4. 29, 5. 47, 4. 49, 5. D. I. 11, 3. 14, 2. 20, 6. 22, 2. D. II. 1, 1. 2, 4. 3, 2. 6, 3. 13, 2. D. III. 12, 3. 17, 2. nominatim Chr. I. 4, 3. paulatim Chr. I. 2, 8. 24, 2. Chr. II. 13, 6. 43, 4. 44, 3. 46, 7. M. 7, 3. 13, 6. 16, 8. passim Chr. I. 25, 7. 31, 6. Chr. II. 30, 3. praesertim Chr. I. 40, 2. D. I. 7, 6. partim Chr. II. 2, 5. 43, 4 (bis). 3, 5. M. 25, 1 (bis). raptim

---

1) Neque Pauckero ipsi ex omni parte persuasum esse, appendicis epistolas a Sulpicio Severo scriptas esse, ipsius verba docent: „Enimvero, quamvis ipse traditioni fidem tribuere vix dubitem, dubitantium tamen auctoritate eatenus moveor, ut ea, quae ex epistolis addubitatis enotari poterant (non admodum multa) aut praeterierim aut certe in annotationem reiecerim" (l. l. pag. 3).

2) Dicat forsitan quispiam, hanc differentiam sequi ex ipsa rei natura, cum sint epistolae, eamque ob causam stili discrepantiam nihil pertinere ad quaestionem illam diudicandam, utrum appendicis epistolae a Sulpicio Severo conscriptae sint necne. Cui sententiae obstat, quod duae priores quidem epistolae, quae solae fere respiciuntur, verius sunt commentationes, quae scriptoris sorori inscriptae sunt, quam epistolae.

D. II. 3, 5. statim Chr. I. 14, 2. 48, 5. Chr. II. 11, 4. 39, 6. M. 3, 5. 6, 2. 7, 4 et 5. 13. 9. 16, 7. 17, 4. 18, 3. 19, 1 et 2. 24, 8. E. II. 7. D. I. 4, 2. 15, 6. 21, 1. D. II. 3, 5. viritim Chr. I. 23, 4. II. 11, 4. vicissim Chr. I. 9, 7. — In appendicis epistolis tria tantum inveni eaque apud omnes scriptores usitatissima: statim pag. 241, 22. interim pag. 255, 12. passim pag. 255, 24.

Terminatione „ere“ pro „erunt“ in tertia persona pluralis perfecti activi et infinitivo historico appendicis epistolarum scriptor omnino non nsus est (cfr. pag. 11 sq. pag. 12 sqq.).

Sulpicius Severus non raro usus est constructione, quae ad sensum vocatur, qua substantiva collectiva ita cum verbis vel adiectivis vel participiis coniunguntur, ut haec, neglecto grammatico genere et numero spectent ad numerum et genus earum rerum, quae snbstantivis collectivis continentur. Nominibus collectivis ita pluralis numerus subici potest et in eodem enuntiato et tum, cum praedicatum pertinet ad nomen collectivum alius enuntiati.

Nomen collectivum et pluralis praedicati in eodem enuntiato: Chr. I. 6, 4 „iuventus improba .... flagitabant“. Chr. II. 37, 7 „pars episcoporum, quae Arrios sequebatur, damnationem Athanasii cupitam accepit: pars coacti metu et factione in studia partium concesserunt“. D. II. 6, 4 „postremo a viro suo poscit, dicens Martinum uterque compellant“.

Nomen collectivum et pluralis numerus verbi vel adiectivi vel participii in diversis enuntiatis his locis inveniuntur: Chr. I. 4, 5 „.... donec se in unum dispergenda per totum orbem multitudo contraxit. his more humani ingeni consilium fuit“. Chr. I. 5, 3 „Loth, prae multitudine familiae a patruo digresus, ut laxioribus vacuae tum regionis spatiis uterentur, in Sodomis consedit“. Chr. I. 20, 7 „conscissis vestibus flentes populum obtestantur, ne exploratoribus credant“. Chr. I. 21, 2 „nec multo post

totius populi in Moysen et Aaron orta seditio est, adeo ut tabernaculum . . . . irrumperent". Chr. I. 22, 2 „principio autem suspecti imperii dimissis per castra nuntiis populum certiorem facit, frumentum uti pararent". M. 13, 4 „hic vero . . . . omnis illa gentilium turba consensit, facilemque arboris suae habuere iacturam". — Haec constructio ab appendicis epistolarum scriptore prorsus aliena est.

Praedicatum, si ad plura subiecta pertinet, a Sulpicio Severo saepe in singulari numero positum est.

1) Subiectum personae: Chr. I. 2, 3 „Cain atque Abel nascitur". Chr. II. 51, 10 „inter haec plebs Dei et optimus unus quisque probro atque ludibrio habebatur". Chr. II. 44, 1 „constantissimus inter eos habebatur noster Foegadius et Servatio Tungrorum episcopus". M. 13, 1 „tum vero antistes loci illius ceteraque gentilium turba coepit obsistere".

2) Subjectum rei: Chr. I. 11, 8 „spes atque salus Aegypti in eo sita erat". Chr. I. 54, 5 „obsessos vis hostium et penuria urgebat". Chr. II. 2, 5 „sed ferrum atque testum inter se confusum coire non poterat". Chr. II. 8, 8 „templum ac simulacrum in potestatem datum atque arbitrio eius dirutum." Chr. II. 4, 2 „etiam tum Syria atque omnis Judaea sub Persarum imperio per magistratus ac praesides regebatur." Chr. II. 37, 7 „quibus fides cara et veritas potior erat". D. I. 25, 6 „ne qua ex hac vanitas atque inflatio obreperet". M. 26, 3 „nunquam in illius corde nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat". — In appendicis epistolis praedicatum ad duo substantiva pertinens bis tantum in singulari numero positum est, atque utroque loco subiectum rebus exprimitur. Priore loco per „nec" particulam coniuncta sunt substantiva: pag. 230, 17 „nec prima, nec secunda (sc. species) proficiet", posteriore loco sunt substantiva synonyma: pag. 249, 16 „ubi timor et tremor est".

Verbi substantivi formae „est, sunt, esse“ non raro omittuntur in appendicis epistolis, sed nusquam praecedentibus particulis et pronominibus relativis, praeteriti et coniunctivi formae omnino non desunt (cfr. pag. 15 sqq.).

Dativus verbo passivo adiunctus, ubi praepositionem „a“ exspectamus, semel legitur atque is quidem cum participio perfecti coniunctus: pag. 220, 19 „desideratos sibi“ (cfr. pag. 20).

„Igitur“ particulam a Sulpicio Severo saepissime initio enuntiati positam esse vidimus pag. 27 sq.; in appendicis epistolis bis tantum legitur pag. 220, 8 tertio loco, pag. 251, 14 secundo loco positum. Orationis variationis, quam Sulpicii Severi proprietatem esse vidimus (cfr. pag. 34 sqq.), in appendice perpauca leguntur exempla: pag. 219, 4 sq. „nam et gaudio flebam . . . . et prae desiderio tui non poteram non dolere“. pag. 219, 14 „Domini opperiar voluntatem speroque . . . .“ pag. 215, 10 „a sancto spiritu eliguntur et per summum sacerdotem Dei offeruntur altario“. pag. 243, 7 „interioribus ornamentis et spiritualiter.“


Participia et ablativi absoluti, apud Sulpicium Severum usitatissima (cfr. pag. 40 sqq.), in illis septem epistolis raro usurpata sunt, zeugma omnino non invenitur (cfr. pag. 40 sq.).

Anaphorae figura, a Sulpicio Severo saepe usurpata, saepissime legitur in appendicis epistolis. In hac figura adhibenda discrepantia eo intercedit, quod Sulpicius eandem vocem ad summum quater repetit, epistolarum scriptor multo saepius. In Sulpicii Severi libris inveniuntur haec exempla: M. 10, 2 „eadem in corde eius humilitas, eadem in vestitu eius vilitas erat“. M. 25, 4 „illum nobis sequendum, illum clamabat imitandum.“ M. 25, 6 „ . . . . quanta gravitas, quanta dignitas erat.“ D. I. 9, 1 „ceterum de familiaritatibus . . . quam vera, quam fortia disputavit“. D. I. 23, 2 „hic mihi, inquit, terra ac mari comes, hic in

peregrinatione tota socius et consolator fuit.“ D. II. 6, 4 „non illa opes regni, non imperii dignitatem, non diadema, non purpuram cogitabat“. D. II. 7, 4 „non vidua libera, non virgo lasciviens“. D. II. 7, 6 „talis causa sit talisque persona, tale obsequium, tale convivium“. D. II. 12, 6 „nullius enim ille unquam xenium, nullius munus accepit“. D. II. 12, 10 „quae .... se praebent obvias sacerdoti, quae convivia sumptuosa disponunt, quae .... discumbunt“ D. III. 17, 4 „illi omnia referes, illi cuncta recitabis“. D. III. 18, 2 „non aspere, non acerbe“. Chr. II. 50, 2 „.... nihil pensi, nihil sancti habuisse“. M. 13, 8 „iam cadenti, iam super se ruenti“. M. 26, 5 „.... neminem iudicans, neminem damnans“. M. 27, 1 „nemo unquam illum vidit iratum, nemo commotum, nemo maerentem, nemo ridentem“. E. III. 21 „Martinus Abrahae sinu laetus excipitur, Martinus pauper et modicus caelum dives ingreditur“. D. I. 14, 7 „lupa praestat officium, lupa furti crimen agnoscit, lupa conscio pudore confunditur.“ D. III. 6, 3 „neminem manibus adtrectabat, neminem sermonibus increpabat“. E. II. 15 „erit posthac vita secunda, erit dies aut hora sine lacrimis“. D. I. 9, 4 „oderunt eum haeretici .... oderunt eum clerici.“ D. III. 17, 6 „sciat Corinthus, sciant Athenae“. D. III. 18, 4 „videant hoc opus summum, quicunque .... noluerunt, videant gloriam suam ....“ — Ex appendicis epistolis eos locos afferre satishabeo, quibus eadem vox saepius quam quater repetitur. „Ubi“ quinquies legitur pag. 220, 28; „non“ octies pag. 220, 31 sqq.; „munda“ novies pag. 237, 11 sqq.; „si“ decies pag. 234, 20 sqq.; „Domini“ undecies pag. 236, 1 sqq.; „ego“ vicies septies pag. 221, 7 sqq.

„Super“ cum ablativo coniunctum apud Sulpicium Severum saepius idem valet atque „de“, cuius usus haec inveniuntur exempla: Chr. I. 19, 3 „super aedificando tabernaculo atque arca rituque sacrificandi edoctus verbis Dei est.“ Chr. II. 50, 1 „quorum studium super expugnandis

haereticis non reprehenderem". D. III. 7, 5 „.... meministi nuper nobis super hoc cum Romulo .... fuisse sermonem". Chr. II. 10, 5 „ceterum Esdram nihil super reficienda urbe egisse conperio". M. 18, 4 „... quod fimbriae vestimento eius cilicioque detractae crebres super infirmantibus egere virtutes". — In appendicis epistolis hic usus non invenitur, quamquam multis locis erat occasio ad hanc praepositionem usurpandam (cfr. pag. 219, 15. 221, 8. 225, 8. 225, 13. 226, 17 et 21. 227, 15. 230, 20. 233, 10 (bis) et 11. 234, 8. 238, 1. 239, 3 et 5. 240, 22. 242, 19. 248, 2. 252, 22. 253, 3 et 15. 255, 9).



THESES CONTROVERSAE

QUAS UNA CUM

COMMENTATIONE PHILOLOGICA,

QUAE INSCRIBITUR

„DE SULPICIO SEVERO SALLUSTIANAE, LIVIANAE, TACITEAE ELOCUTIONIS IMITATORE“

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE IMPETRANDOS

A. D. III. KAL. FEBR. A. MDCCCXCII HORA XI

IN PUBLICO DEFENDET

JOSEPHUS SCHELL,
RHENANUS.

ADVERSARIORUM PARTES SUSCIPIENT:

EDUARDUS ARENS, CAND. PROBAT.
JOHANNES BOEDEKER, CAND. PHIL.
AUGUSTUS PREISING, DR. PHIL.

MONASTERII GUESTF.
EX TYPOGRAPHIA THEISSINGIANA.
MDCCCXCII.

Theses.

I.

Septem epistolae, in editionis Halmianae appendice positae, a Sulpicio Severo abiudicandae sunt.

II.

Terentius duas Andriae personas Charinum et Byrriam de suo addidit.

III.

Pindari Isthm. carm. III. v. v. 55—57 ad Aiacem spectant.

IV.

Euripidis Iphigeniae Tauricae v. v. 36 et 38 eiciendos esse puto.

V.

Iniuria Leo versus Senecae fabulae, quae Phaedra inscribitur, inde a 1022 usque ad 1024 delevit.

Vita.

Natus sum Josephus Schell in vico Lutzerath Rhenanorum a. d. V. Kal. Sept. anni h. s. LXV patre Martino, matre Sophia e gente Fremmer, quos integris adhuc viribus uti valde gaudeo. Fidem profiteor catholicam. Litterarum elementis imbutus per quinque annos et dimidium in urbe Euskirchen discipulus eram progymnasii, per duos annos gymnasii Marcodurani, quod vere a. h. s. LXXXVI. testimonio quod vocant maturitatis instructus reliqui. Eiusdem anni mense Aprili in numerum civium almae litterarum academiae Monasteriensis receptus per ter senos menses hic, per bis senos Monaci studiis philologicis operam dedi. Denique ad hanc studiorum sedem reversus per bis senos menses seminarii regii philologici, cui praesunt Langen et Stahl, sodalis ordinarius fui; exercitationibus Germanicis, ut interessem, benigne permisit Storck. Monaci scholas frequentavi V. V. D. D. Wölfflinii et Schöllii, Monasterii me docuerunt V. V. D. D. Storck, Langen, Stahl, Spicker, Hagemann, Niehues, Milchhöfer, Lehmann, Bartholomae.

Omnibus viris bene de me meritis gratias ago ac semper habebo maximas.